Herm. Heinze:

De spuriis Actorum Diurnorum fragmentis.

Gryphiswaldiae, 1860.

DE

SPURIIS ACTORUM DIURNORUM FRAGMENTIS UNDECIM COMMENTATIO CRITICA.

FASCICULUS PRIOR.

A. Th. Lysander 1860.

SCRIPSIT

HERMAN. HEINZE,

DR. PHIL. CONRECT. SCHOL PUBL. TRIBSEENSENS.

Cfr. Aem. Huebner: De senatus populique Romani actis. Lipsiae, 1859.

GRYPHISVALDIAE 1860.

IN LIBRARIA C. A. KOCHIANA.

(TH. KUNIKE.)

DE

SPURIIS ACTORUM DIURNORUM FRAGMENTIS UNDECIM COMMENTATIO CRITICA.

FASCICULUS PRIOR.

A. Th. Lysander
1860.

SCRIPSIT

HERMAN. HEINZE,

DR. PHIL. CONRECT. SCHOL. PUBL. TRIBSEENSENS.

GRYPHISVALDIAE 1860.

IN LIBRARIA C. A. KOCHIANA.

(TH. KUNIKE.)

Mirum videri potest, quod non pauci hujus memoriae extiterunt viri litterati, qui acta populi Romani diurna libris singularibus diligenter tractarent. Nec tamen est mirandum. Non enim licet casu id evenisse putare, sed duxit eodem complures eadem haud dubie ratio. Quae fuerit, quum nonnulli professi sint, non incertum est. Dixerunt ad antiquas ephemerides perscrutandas eo se commotos, quod recentes vidissent quantopere ex initiis tenuissimis brevi adoleverint ad publicam quandam auctoritatem. Itaque comparando exprimere se voluisse ajebant imaginem Romanae antiquitatis. Ut vero contingere solet de re antiqua atque ambigua disserentibus, illorum opusculis alii excitati sunt, ut quae improbarent in medium proferrent. Sic controversia nondum dirempta de diurnis Romanorum agitatur. Qua in pugna hominum doctorum, quum ad naturam formamque actorum urbanorum cognoscendam reliquiae investigarentur, fieri non potuit quin animos in se converterent fragmenta undecim longe ceteris majora, quae, si vera essent, qualia acta fuerint gratissimo ostenderent antiquitatis monumento. Nam

prima septem spectare feruntur ad annum 586 a. u. c. = 168 a. Chr. n. L. Aemilio Paulo iterum C. Licinio Crasso coss., tria insequentia ad 692 = 62 D. Junio Silano L. Licinio Murena, ultimum ad 699 = 55 iterum consulibus Cn. Pompejo Magno M. Licinio Crasso. Verum germana an subditicia sint summopere ambigitur. Neque adhuc, quamvis copiose in utramque partem disputatum sit, rem dijudicatam esse patronis fragmentorum adversarii, adversariis patroni sponte concedent. Quare operae pretium haud dubito quin facturus sit, qui transigere possit controversiam, qua sublata rectiore, quam nonnumquam de rerum urbanarum actis legitur, judicio uti oportebit. Quodsi ego periclitor de fragmentis illis libellum conscribere, tantum me esse, ut decidam de re inter viros non ineruditos apprime ambigua, haudquaquam jactaverim. Immo accedere ad optimatium in re litteraria controversiam primo cuique vel homini novo licere credidi, si argumentis modo possit quem occupaverit locum obtinere. Num quae daturus sim argumenta adeo valeant, judicare non meum est. Quaerentem vero me de fragmentorum undecim veritate quem ad finem perduxerit disquisitio instituta, quae opusculo inscripsi verba aperte indicant. Non enim possum quin acta illa habeam pro spuriis. Quamquam partium studio ne indulgeam certe operam dedi, ita ut contra actorum adversarios non semel mihi standum censeam.

Sed antequam aggrediar ad disputationem, fragmenta ipsa variis lectionibus adjectis praemittenda sunt.

Fragmentum I.

V. K.[1]) APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIVM.
BENE. MANE. SACRIFICAVIT. AD. APOLLINIS.
OVE. FECIT. LAVREATVS.[2])
HORA. OCTAVA. SENATVS. COACTVS.[3]) IN
HOSTILIA. S. C. FACTVM. EST. VTI.[4]) PRAFTORES.
EX. SVIS. PERPETVIS. EDICTIS. IVS DICERENT.
Q. MINVCIVS.[5]) SCAPVLA. ACCVSATVS. DE. VI.
A. P. LENTVLO. APVD. CN.[6]) BAEBIVM.[7]) PR.[8])
VRB. DEFENSVS. A. C. SVLPICIO.[9])
SENTENTIIS. CONDEMNATVS. XV.
AMPLIATVS. XXXIII.

1) KAL. Voss. 2) LAVRENTIAE. Voss. 3) Voss. add. EST. 4) S. C. FACTVM. VT. Voss. 5) MINVTIVS. Voss. 6) GN. Voss. 7) BOEBIVM. Voss. 8) PRAETOREM. Voss. 9) SVLPITIO. Voss.

Fragmentum II.

IV. K.[1]) APRILEIS.
FASCEIS. PENES. LICINIVM.
FVLGVRAVIT.[2]) TONVIT. ET. QVERCVS. TACTA.
IN. SVMMA. VELIA. PAVLLVM.[3]) A. MERIDIE.
RIXA. AD. IANVM. INFIMVM. IN. CAVPONA. ET.
CAVPO.[4]) AD. VRSVM. GALEATVM. GRAVITER.
SAVCIATVS.
C. TITINIVS.[5]) AED. PL. MVLCAVIT.[6]) LANIOS.
QVOD. CARNEM. VENDIDISSENT. POPVLO.
NON. INSPECTAM.
DE. PECVNIA. MVLCATITIA.[7]) CELLA. EXSTRVCTA.
AD. TELLVRIS. LAVERNAE.

1) KAL. Voss. 2) FVLMINAVIT. Voss. 3) PAVLVM. Voss. 4) Deest

in Voss. apographo. 5) TINTINIVS. Voss. 6) MVLTAVIT. Voss. 7) MVLTATICIA. Voss.

Fragmentum III.

III. K.[1]) APRILEIS.
FASCES. PENES. AEMILIUM.
LAPIDIBVS. PLVIT. IN. VEIENTI.
POSTVMIVS.[2]) TRIB. PLEB. VIATOREM. MISIT.
AD. COS. QVOD. IS.[3]) EO. DIE. SENATVM.
NOLVISSET. COGERE.
INTERCESSIONE. P.[4]) DECIMII[a]) TRIB. PLEB.
RES. EST. SVBLATA.
Q. AVFIDIVS. MENSARIVS. TABERNAE.
ARGENTARIAE. AD. SCVTVM. CIMBRICUM[5]).
CVM. MAGNA. VI. AERIS. ALIENI. CESSIT.
FORO.
RETRACTVS. EX. ITINERE. CAVSSAM.[6])
DIXIT. APVD. P. FONTEIVM. BALBVM.
PRAET.[7]) ET. CVM LIQVIDVM. FACTVM.
ESSET. EVM.[8]) NVLLA. FECISSE.
DETRIMENTA. IVSSVS.[b]) EST. IN. SOLIDVM.
AES. TOTVM. DISSOLVERE.

1) KAL. Voss. 2) POST. Voss. 3) Abest in Vossiano apogr. 4) PVB. Voss. 5) CYMBRICVM. Voss. 6) CAVSAM. Voss. 7) PRAETOREM. Voss. 8) ILLVM. Voss. a) DECIMI. Reinesius. b) IUS. Reines.

Fragmentum IV.

PRID. K.[1]) APRILEIS.
FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.

IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA. VISCERATIO.
INCENDIVM. IN. CAELIOLO.[2]) INSVLAE. DVAE.
ABSVMPTAE. SOLO. TENVS. ET.[3]) AEDES.
QVINQVE. AMBVSTAE. QVATVOR.
DEMIPHON.[4]) ARCHIPIRATA. CAPTVS. A.
CN.[5]) LICINIO. NERVA. LEGATO.
IN. CRVCEM. ACTVS.
VEXILLVM. RVBEVM. IN. ARCE. POSITUM.
COS.[6]) SACRAMENTO. NOVO. ADEGERVNT.
IVVENTVTEM. IN. CAMPO. MARTIO,

1) KAL. Voss. 2) COELIOLO. Voss. 3) AD. Voss. ED. Reines. 4) DEMIPHO. Voss. 5) GN. Voss. 6) COSS. Voss., abest ap Reines.

Fragmentum V.

KAL. APRIL.
L. AIMILIO. PAVLLO. II.
C. LICINIO. CRASSO. COS.[1])
PAVLLVS. COS. ET CN.[2]) OCTAVIVS. PRAE.[3])
PALVDATI. EGRESSI. SVNT. VRBE. IN.
PROVINCIAM. MACEDONIAM.
PROFECTI. INGENTI.[4]) ATQVE. INVSITATA.
FREQVENTIA. PROSEQVENTE.
CV.[5]) . . . . TOTA. SACRA. VIA.
EX. AEDIBVS.[6]) . . . . VSQVE. AD.
CARINAS. ET. SACELLVM. STRENIAE.[7])
MAGNA. CONSTERNATIONE. VICINORVM.
FVNVS. MARCIAE.[8]) SEX. F. CVM. MAIORE.
POMPA. IMAGINVM. QVAM. FREQVENTIA.
HOMINVM.
PONTIFEX. SEMPRONIVS. EDIXIT. MEGALESIA.[9])

1) L. AIMILIO. — COS. absunt in Vossiano exemplari. 2) GN.

Voss, non habet Reines. 3) PRAETOR. Voss. 4) INGENTE. Voss. 5) GN. Voss., Reines. omisit. 6) AEDILIBVS. Voss. Spatium idem non dedit. Lieberkuehnius conjicit: CVRSATIO. PROSEQVENTIVM. TOTA. SACRA. VIA. EX. AEDIBVS. REGIS. VSQVE. AD. sqq. 7) STERNIT. Voss. 8) MARTIAE. Voss. 9) PONTIFEX. — MEGALESIA: absunt a Vossiano.

Fragmentum VI.

IV. 1) NON. APRIL.

VER. SACRVM. VOTVM. DE. PONTIFIC. 2)
SENTENTIA. A. BAEBIO. a) PRAETORE.
LAVTIA. LEGATIS. AETOLVM. 3) DATA.
$\overline{X}$. $\overline{X}$. 4) AER. 5) GRAVIS. IN. SINGVLOS.
DIMIDIVM. EIVS. COMITIBVS. 6).
M. AEBVTIVS. 7) IN. PROVINCIAM. SVAM.
SICILIAM. PROFECTUS. EST. 8)
EPVLVM. IN. FVNERE. MARCIAE. 9) POPVLO. DATVM.
A. FILIIS. EIVS. Q. 10) ET L. METELLIS.
ET. LVDI. SCAENICI. FACTI. 11)
CLASSIS. CARTHAGINIENSIS. 12) OSTIAM. 13)
INGRESSA. CVM. TRIBVTO.

1) III. Voss. 2) PONTIFICVM. Voss. 3) AETOLORVM. Voss 4) CCM. Voss. 5) AERIS. Voss. 6) COMITIB. Voss. 7) EBVTIVS. Voss. 8) Abest a Vossian. 9) MARTIAE. Voss. 10) C. Voss. 11) Abest a Voss. 12) CARTHAGINENSIS. Voss. 13) HOSTIAM. Voss. a) BOEBIO. Reines.

Fragmentum VII.

III. NON. APRIL.

C 1) POPILIVS. LAENAS. C. 2) DECIMIVS. C. HOSTILIVS. LEGATI. MITTVNTVR. AD. REGES. SVRIAE. a)
ET. 3) AEGVPTI. 4) AD. BELLVM. INTER. IPSOS.
COMPONENDVM.
LEGATI. BENE. MANE CVM. TVRBA.
CLIENTIVM. 5) ET. PROPINQVORVM. SACRIFICARVNT. 6) AD. CASTORIS. DIS PENATIBVS.

P. R. TAVRO. FECER. ET. PERLITARVNT.
PONT.[7]) MAX.[8]) . . . . IN. AEDE. VESTAE.
. . . . L. L. V. V.[9])

1) CAI. Voss. 2) CAI. Voss. 3) AC. Voss. 4) AEGYPTI. Voss. 5) CLIENTVM. Voss. 6) FECERVNT. Voss. 7) PONTIF. Voss. 8) Spatium non est in Vossian. 9) Absunt in Vossian. a) SYRIAE. ET. AEGYPTI. Reines.

Fragmentum VIII.

D. IV. SYLLANO. L. MVRE. COSS.
A. D. III. IDVS. SEXTIL.
FASCES. PENES. MVRENAM.
IS. BENE. MANE. SACRVM. FECIT. AD.
CASTORIS. DIIS. PENATIB. PVB. INDE.
COEGIT. IN. CVRIA. POMPAE.[1])
SYLLANVS. CVM. ACCENSIS.[2]) CAVSAM. DIXIT.
APVD. Q. CORNIFICIVM. PRO. SEX. RVSCIO.
EX. MVNICIPIO. LARINATI. ACCVSATO.
DE. VI. PRIVATA.
ACCVSAVIT. L. TORQVATVS. FILIVS. ABSOLV-
TVSQVE. EST. REVS. SENTENTIIS. XL.
DAMNATVS XX.
TVMVLTVS. IN. SACRA. VIA. INTER. OPERAS.
CLODII. PVLCHRI. ET. SERVOS. T. ANNII.
RIXA. PO . . . . ET. Q.[3])
S. C. FACTVM. NE. MVLTA. AERARIORVM.
TRANSEAT. AD. HEREDES.
TONVIT. SVB. MERIDIEM. FVLGVRAVIT. ET.
QVERCVS. TACTA. IN. SVMMO. ARGILETO.

1) Lieberkuehnius conjicit: POMP. SE. i. e. Pompeja senatum. Dodwellus emendat: INDE. SENATVM. COEGIT. IN. CVRIA. POMPEIA. Zellius conjectat: INDE. COEGIT. SEN. IN. CVRIA. POMPEIA. 2) Dodwellus scribendum putat: ACCENSO. 3) Lieberk. ita locum sup-

plet: RIXA. POPINARIORVM. ET. QVOQVORVM. Ego legendum propono: RIXA. POPINONVM. ET. QVAESTVARIARVM. vel QVADRANTARIARVM.

Fragmentum IX.

A. D. V. KAL. SEPTEMB.
M. TVLLIVS. CAVSAM. DIXIT. PRO. CORN.
SVLLA. APUD. IVDICES. DE. CONIVRATIONE.
ACCVSANTE. TORQVATO. FILIO. QVINQVE.
SENTENTIIS. OBTINVIT. TRIB. AERAR.
CONDEMNARVNT.
FASCES. PENES. SYLLANVM.
TRIB. PL. INTERCESSERVNT. S. C. DE.
TRIBVTIS. LAODICIAE. VT. DARENT.
PRAEDES.
PRAETOR. VRB. FILIAM. EO. DIE. [1])
DARET. NVPTVM. EDICTO. MONVIT.
SE. IVS. NON. DICTVRVM. ET. VADIMONIA.
OMNIA. IN. DIEM. QVINTVM. DISTVLIT.
TESTAMENTVM. MELIONIS. ALLATVM.
MYCENIS. PRAETOR. PEREGRINVS.
RESCIDIT. Q. [2]) EXPRESSVM. ERAT. AB.
EO. TORMENTIS.
C. CAESAR. IN. HISPANIAM. VLTERIOREM.
EX. PRAETVRA. PROFICISCITUR. DIV.
PRIVS. RETARDATVS. A. CREDITORIBVS.
Q. TERTINIO. PRAETORI. IVS. DICENTI.
NVNCIVS. ALLATVS. EST. DE. MORTE. FILII.
FICTVS. AB. AMICIS. COPPONII. REI. DE.
VENEFICIO. VT. CONCILIVM. DIMITTERET.
ILLE. PERTVRBATVS. DOMVM. SE. RECIPIEBAT.
SED. RE. COMPERTA. PERSEVERAVIT.
IN. INQVIRENDO.
C. ACTIVS. COPPONIVM. VENEFICII.
POSTVLAVIT. DIVINATIO. ACTIVM. INTER.

ET. SEPASIVM. MINOREM. DE. ACCVSANDO.
ACTIVS. OBTINVIT. Q. [3]) SEPASII. VXOR.
SOROR. ESSET. NVRVS. COPPONII.
RIXA. AD. FORNICEM. FABII. ET. CAEDES.
GLADIATORVM. DVORVM. EX. LVDO.
CVRIONIS.

1) Lieberk. interponit hoc loco: CVM. Dodwellus aliique ita emendant: CVM. PRAETOR. VRB. sqq. 2) et 3) hoc esse putatur: QVOD.

Fragmentum X.

A. D. IIII. KAL. SEPT.
FVNVS. METELLAE. PIAE. VESTAE.
VIRGINIS. ILLATAE. SEPVLCRO. SVORVM.
MAIORVM. VIA. AVRELIA.
CENSORES. LOCAVERVNT. REFICIENDVM.
TECTVM. AII. LOQVENTIS. H. S. $\overline{XXV}$.
Q. HORTENSIVS. SVB. VESPERVM.
ORATIONEM. HABVIT. PRO. ROSTRIS.
DE. CENSVRA. ET. BELLO. ALLOBROGVM.
RELIQVIAE. CONIVRATORVM. CVM.
L. SERGIO. TVMVLTVANTVR. IN.
HETRVRIA.
CAVPO. AD. TRES. TABERNAS. OCCISVS.
A. THRACIBVS. EBRIIS. IN. VIA.
PVBLICA.

Fragmentum XI.

GN. POMPEIO. MAGN. II.
M. LICINIO. CRASSO. II. COSS.
KAL. MAII.
COSS. IN. GALLIAM. PROFECTI.
AD. C. CAESAREM.

Duplicem vides septem fragmentis primis textus recensionem extare. Quem dedi textum Pighii apographum perhibet, cum quo quatenus Isaaci Vossii descriptio discrepet sub lineolis notavi. Reliqua lectionum varietas non ex archetypo, sed ex edentium partim errore fluxit partim e conjecturis. Extrema vero fragmenta quattuor, quandoquidem uno tantum apographo Vossiano leguntur, nullam exhibent scripturae discrepantiam, nisi quas nonnulli putarunt emendationes proponere posse.

Qua ratione utrumque apographum confectum sit ut cognoscatur, supersedere haud licet quin quae de historia fragmentorum exquiri adhuc potuerunt brevi referam, quamquam novi quidquam quod afferam non habeo nec alium quemquam credo habiturum.

Primum scire oportet neminem omnino eorum, qui fragmenta vel descripserint vel ediderint, vidisse ipsum archetypon. Apographa erant, quae manibus virorum doctorum circumferebantur. Neque vero ante sextum decimum p. Chr. n. saeculum ulla exemplarium illorum descriptorum mentio fit. Justus Lipsius primus ea memorat ad Tacit. Annal. l. XV. p. 455 edit. 1581 pauca haec verba laudans: Argumento libri lintei pontificum, in queis scriptum: INCENDIVM. IN. CAELIOLO reliqua. Tum M. Velserus opp. Norimberg. 1682 p. 854 in epistola ad Camerarium anno 1596

data haec tradidit: Interim excerpta ex linteis pontificum libris Ortelii aut Vivis aut cujusvis potius fide mitto. Deinde Pighius septem fragmenta prima Annalibus suis magistrat. et prov. senat. populique Roman. tom. II. p. 378 interponens anno 1615 primus prelo subjecit ita praefatus: Attestatur antiquissimae tabulae fragmentum ejusdem anni (586 u. 168 a. Chr.) dierum septem acta urbana nobis pulcherrime repraesentans: cujus exemplum exscriptum, inter schedas Ludovici Vivis olim repertum, nobis communicavit vir eruditione singulari antiquitatisque investigandae studio non minus quam nobilitate commendandus Jacobus Susius. Textum autem Pighianum Reinesius inscriptionum Syntagmati suo anno 1682 inseruit p. 340—343. Qui tertius fragmenta typis exscribenda curavit Henricus Dodwellus in Appendice praelectionum Camdeniarum p. 665 sqq. septem illis quattuor postrema primus adjunxit fragmenta omniaque genuina censens commentario explicavit locupleti, ita ut ex ejus nomine nuncupari soleant Dodwelliana. Qua ratione ea acceperit in praelect. VIII c. X p. 334 anno 1692 refert: Collegerat, inquit, haec (fragmenta) editionique paraverat inedito Inscriptionum volumine Paulus Petavius. Inde exscripsit vir maximus memoriae celeberrimae Isaacus Vossius. Ab eo accepit vir cl. Hadrianus Beverlandius, qui mecum communicare dignatus est. Haec spectans verba Dodwellus, antequam fragmenta ipsa cum lectore communicavit, in Appendice prael. Camd. p. 654 de eorum origine et recensionibus copiosius ita disseruit: Memini, lector, illo in loco fragmentorum nonnullorum librorum linteorum veterum, quorum me participem fecerat cl. Beverlandius. Ea jam, quia ad historiae Romanae fontes spectant, tecum communicare decrevi. Ea tum omnia inedita putabam. Postea partem eorum priorem a Stephano Vinando Pighio ad annum urbis pro epocha (quam sequitur ipse) Capitolina DLXXXV, Varroniana DLXXXVI editam reperi. Accepit a Jacobo Susio Pighius in Ludovici

Vivis schedis repertam ab ipso Susio. A Pighio deinde mutuatus est Reinesius vir longe maximus in addititiis ad Gruterum inscriptionibus. Editionem illam primariam Pighii sequor a Reinesio descriptam, quod formam ipsam servavit tabulae marmoreae a Vossii descriptore, quicunque demum is fuerit, neglectam, quod factum tamen non oportuit. Contuli autem cum Vossii apographo, si qua fortasse melioris lectionis suggesserit codex Petavii, unde sua descripsit ipse Vossius. Potuit enim, qui plura servavit horum marmorum fragmenta, quam constat vidisse (si tamen vidit) Vivem, e marmore ipso descripsisse Paulus Petavius. Haec Dodwellus. Pighio ergo debemus, si est quod debeamus, superiorum fragmentorum septem descriptionem, inferiora Is. Vossio. Ipse vero Vossius fragmenta licet non ediderit, tamen jam, priusquam Dodwelli cura in lucem prodirent, in Catulli editione sua anni 1684 p. 73 et 333 citavit. Priori enim loco: Hujus porro expeditionis, inquit, mentio quoque fit in fragmento, quod habeo e libris linteis magistratuum Rom., in quo ad V Kal. Sept. haec invenio: C. Caesar et quae sequuntur. P. 333 autem de ephemeridibus quas vocat haec notat: Eo autem libentius haec moneo, quod necdum in lucem prodiere haec fragmenta. Partem dumtaxat exhibuit Pighius in suis Annalibus, sed longe plura sunt, quae penes me sunt, quaeque ipse non vidit, quamvis utraque ex eodem Ludovici Vivis vetustissimo ut opinor exemplari fuerint descripta. Postremus vero virorum doctorum, qui fragmenta, antequam typis expressa pervulgarentur, scripta accepit, accepta edidit, Georg. Graevius est, qui anno 1697 in Suetonio suo ad Caesarem c. 20 septem tantum dierum superiorum acta litteris mandans haec narravit: Actorum antiquissimorum senatus anni nimirum 585 exemplum illustre mihi non ita pridem ex Britannia misit virtute et doctrina in primis conspicuus vir J. Lock, quem et honoris et amoris, quo eum prosequor, causa nomino. Scribit id secum communicasse illustrissimum Comitem de Car-

bury excerptum ex perantiquo codice. Et inferius Graevius addidit: Priorum trium dierum acta debemus generosissimo Comiti de Carbury et ejus munere cl. v. Lockio. Ceteros dies excerpsi ex annalibus Stephani Pighii etc. Unde comes ille de Carbury textum nactus sit, licet Graevius taceat, ex Dodwello compertum habemus. In Append. enim Praelect. p. 779 nominatim Beverlandium, a quo et ipse acta acceperat, etiam domino Carbury ea dedisse memoriae prodidit. Edidit, inquit, praeterea partem horum actorum urbanorum priorem in iterata Suetonii editione Cl. Graevius. Et quidem partem illius partis aliquam ex apographo Vossiano. Quae enim cum Graevio communicavit dominus Carbury, ea ipsum a Cl. Beverlandio accepisse ipse nobis indicavit. Hactenus Dodwellus. Itaque Graevianam quoque editionem patet ad Vossium recurrere.

Manifestum ergo est primum fragmentorum undecim possessorem summo omnium, quorum in manibus exemplaria scripta fuerint, consensu vocari Ludovicum Vivem. A Vive vero duae exierunt actorum editiones, quarum altera quattuor fragmentis amplior lectionibus non raro discrepat. Altera autem minus ampla prius divulgata est. Haec videtur potissimum inter Batavos et Germanos circumlata, illa inter Francogallos et Anglos. Priorem habebant Lipsius, Velserus, Susius. A Velsero Camerarius, Pighius a Susio accepit. Unde Lipsius eam consequutus sit quamvis non indicetur, vix tamen dubitare licet quin indidem unde ceteri. Velserus ad Vivis fidem delegat, ab eodem Susii exemplar profectum esse constat. Altera recensio quin ex eodem fonte fluxerit dubium esse non potest. Primus enim P. Petavius eam possedit, quam Vossius exscripsit. Vossius vero l. l. p. 333 diserte tradit sua non minus quam Pighiana fragmenta ex eodem Ludovici Vivis vetustissimo exemplari fuisse descripta. Ne quis contra dicat, moneo voces a Vossio additas: ut opinor aperte referendas esse ad eas quibus interposita sunt: vetustissimo exemplari. Nihil igitur ille de possessore exemplaris dubitavit,

dubitanter dixit de exemplaris vetustate. A Vossio fragmenta Beverlandius cepit, qui ea duobus viris tradidit Dodwello et comiti de Carbury. Hic, quot fragmenta incertum est, cum Lockio communicavit, Lockius certe partem tantum Graevio misit.

Habes historiam fragmentorum; quae inde efficienda sint partim paulo inferius excutiam, partim differam, donec ad tertium quartumque primi fragmenti versum de variis utriusque recensionibus disputaverim.

Qui primi acta acceperunt, aliis dederunt, ediderunt, num genuina sint in dubium non vocarunt. Unus Velserus fidem ejus, cui acta deberentur, non magis agnovisse videtur quam Romani Poenorum. Verum postea, licet multi qui fidem iis tribuerent usquequaque fuerint, fere totidem extiterunt qui pernegarent. Eos tantum tractem, qui tota haec fragmenta vel libris singularibus vel de actis Romanorum disserentes in disquisitione posuerunt, reliquos qui oblata tantum occasione ea modo contenderunt aut subditicia aut genuina esse utpote ab aliis enumeratos omiserim.

Primus igitur fragmentorum interpres Dodwellus fuit in libro supra laudato. Qui quum nemo etiamtum esset, qui acta doctis argumentis impugnasset, commentarium conscripsit non defensionem. Sed quantumvis obcaecata sit fragmentorum admiratione, tamen excusari potest propterea quod scripsit quo tempore acta non nimis multo ante pervulgata tamquam antiquitatis reliquiae magna paene ubique fruerentur veneratione. Tum Petrus Wesselingius nominandus est, qui in Probabilibus suis Franequerae 1731 ed. inde a p. 354 historicis imprimis argumentis ficticia esse fragmenta demonstravit tanta acie ingenii, ut qui postea actis adversarentur suis quasi humeris etiam nunc omnes sustineat. Eoque major ei laus debetur, quod primus omnium fuit, qui non singulis modo notis sed fere tota fragmenta perlustrando falsam de iis opinionem jam diutius conceptam

convellere et labefactare coepit. Clericus (Le Clerc) deinde in libro inscripto Des journaux chez les Romains. Paris. 1838 a p. 261 usque ad p. 341 Wesselingii argumentatione probata eo processit, ut ostenderet quibus veterum locis despoliatis falsarius recentior centonem actorum suisset. Quamquam non diffitemur virum Francogallum suo more nonnunquam disputasse audacius. Attamen patroni actorum non deterriti sunt. Princeps Lieberkuehnius extitit, qui in epistola critica ad Le Clercium initio libelli Vindiciae librorum injuria suspectorum Lipsiae 1844 data non modo ab adversariorum impetu ea vindicare tentavit sed duxit pro pretiosissimo antiquitatis monumento. Cujus viri doctrina haud exigua est, judicium non prorsus laudabile. Sic doctius quam sagacius disserendo quasi quodam jure longiore acta perfudit, in quo singula fragmenta pisciculorum instar natare videantur. Sed vereor ut de Lieberkuehnii epistola idem ac de Salmasii in Solinum commentario judicetur jus suavioris esse saporis quam pisciculos. Post autem Lieberkuehnium non praetermittenda est Renssenii De diurnis aliisque Romanorum actis disputatio Groningae 1857 emissa, quae inde a p. 60 usque ad finem haec fragmenta tractat. Sed licet nonnulla nova quae fragmentis opponit attulerit, plurima tamen Lieberkuehnii argumenta reliquit non confutata. Ceterum quanti faciendum Renssenii opusculum arbitrer, in censura mea, quae in Muetzelli diario Zeitschr. f. d. Gymnas. Wesen XII, 1858 p. 429—439 typis expressa est, copiosius exposui. Postremus Zellius fragmenta pertractavit in dissertatione: Ueber die Zeitungen der alten Römer, quae est in ejus libro Ferienschriften. Neue Folge. Heidelb. 1857. Ibi vir multo quam Lieberkuehnius cautior a p. 109 fragmenta Dodwelliana disquirens eo pervenit, ut genuina an spuria sint nondum liquere dicat. Sed saepenumero dolendum est quod vir eruditissimus nodum in scirpo quaerere solet. Numquam enim non studens utrique parti quum actorum adversariis

tum patronis sua cuique tribuere nonnunquam tamen his plura dat, quippe quum ubi illis nullae obstant sibi conquirat difficultates. Itaque fere ubique in acie quodammodo videtur cultri acuti saltare. Cujus viri librum quod interdum in transcursu refutaverim ignoscatur peto quia propemodum confecto opusculo in notitiam meam venit.

Hi fere sunt qui in disquisitionem fragmenta vocaverunt accuratiorem. Ex ceterorum vero numero, qui quasi obiter de iis sententias tulerint, eos solos laudare liceat, quos Lieberkuehnius, cujus libellus p. 16—21 plurimos diligenter congessit, aut praetermisit aut nondum editis libris citare nequibat. Neque tamen omnes omnino qui supersint me posse nominare opinor. Causidicis igitur fragmentorum annumerandi sunt Nitsch. Beschreib. d. häusl. wissenschaftl. etc. Zustandes der Römer, Erfurt. 1788 I p. 533 sq. et Klotz. Handb. d. Litter. Lips. 1846 I p. 132 sq. Dubitat num sincera sint Baehr. Gesch. d. röm. Litter. Carolsr. 1844 ed. III t. II §. 227 p. 119. Fidem iis aperte abjudicant hi jurisconsulti[1]) Bach. Hist. jurisprud. Rom. II, 2, 3 §. 5 sq. ed. Stockmann. Lips. 1807. Zimmern. Gesch. des röm. Privatrechts. Heidelberg. 1826 I, 1 p. 124 n. 9. Kraut. De argentar. et nummular. Gotting. 1826 p. 11. Walter. Gesch. d. röm. Rechts bis auf Justinian. ed. II Bon. 1845 I §. 124. p. 146. N. 11. Quibus accedunt hi philologi et historici: Baumgarten-Crusius ad Sueton. Caes. 20 ed. Lips. 1826. Interpres vocis actorum in Forcellini Lexico totius latinitatis ed. in Germania prima. Schneeberg. 1831. Drumann. Gesch. Roms nach Geschlechtern. Regiomont. 1834. III p. 196. N. 94 et p. 264. N. 64. Adolf. Schmidt. Das Staatszeitungswesen d. Röm. in Zeitschr. f. Gesch. wissensch. Berol. 1844 I p. 314—319. Hofmann. Der röm. Senat. 1847 p. 130 n. 31. Bernhardy. Röm. Litt. Gesch. ed. III. 1857. p. 75 sq., denique auctor non nominatus disputationis inscriptae Aus d.

---

1) Adjicias Ritter. ad Heineccii Hist. jur. civ. Rom. ac Germ. Argentor. 1751 praefat. p. IV sq.

röm. Alterth. Der öffentl. Tagesanzeiger in diario Die Grenzboten edito a G. Freytag. et J. Schmidt. Lips. 1857 semestr. II. t. IV. p. 49 sq. Nuperrime accessit Aem. Hübner. senatus populique rom. actis Lips. 1859 p. 3 sq. Ex his ceteris longe praestant, quae Ad. Schmidt. de fragmentis quamvis breviter disputavit.

Jam vero aggrediamur fragmenta. Aggredientibus autem multa quae iis adversentur peti posse jam a rationibus videntur externis. Ejusmodi prima nondum oportet ex ipsis fragmentis repetere. Immo Suetonii locus Caes. 20: Inito (consulatus) honore primus omnium (Caesar) instituit, ut tam senatus quam populi diurna acta conficerentur et publicarentur etc., decem certe fragmenta priora quae ante primum C. Julii Caesaris consulatum anno 695 = 59 gestum confecta et publicata esse traduntur, ut spuria jam manifesto condemnare videtur. Atque apparet fragmenta defendi non posse, nisi sumatur aut Suetonium aberrasse a vero aut locum corruptionis macula aliqua inquinatum aut alio atque artis grammaticae praecepta flagitent sensu accipiendum esse. Sed posteaquam Ernestius excursu edit. suae Suetonii ad h. l. et Suetonii fidem et integritatem loci evicit, neutra in dubium vocatur. Eo cupidius tertium illud arreptum est non solum a patronis fragmentorum sed etiam ab adversariis, qui tamen credebant dicta veterum inveniri, quibus jam ante Caesarem consulem acta diurna extitisse fieret liquidum. Verum dicta illa non ad diurna populi Romani sed ad alia acta spectare nuperrime luculenter demonstraverunt Hullemann. Disputat. critic. de annal. max. Amstelod. 1855 p. 39—45. Renssen. l. l. p. 14—17. Zell. l. l. p. 12—14 et p. 231 n. 7. Quamobrem quicunque tamen fragmenta vindicare vult, ei uno contortae Suetonii interpretationis refugio utendum est. Nec non utebantur. Complures enim viri docti Behr. Obss. quaed. in duos Sueton. loc. vit. J. Caes. Gerae 1822 p. 12 sqq. Zell. Morgenbl. f. gebild. Leser 1835 p. 531 sq.

et Ferienschrr. p. 11. Le Clerc. l. l. p. 197. Lieberkuehn. De diurn. Rom. act. Vimar. 1840 p. 15. Ad. Schmidt. l. l. p. 313 conjunctiones tam — quam apud Suetonium l. l. idem significare censebant atque ita — ut vel eodem modo — quo, itaque Caesarem eodem modo senatus acta instituisse, ac populi diurna in usu jam fuissent. At talem interpretationem jam Hullemann. p. 43 et Renssen. p. 14 ut indignam de qua disputetur rejecerunt; redarguisse mihi videor in censura illa libelli Rensseniani p. 430 monendo eam semper vim inesse tam — quam conjunctionibus ut de gradu praedicentur, ita — ut vero non praedicari nisi de modo. Quibus particulis commutatis quam ineptus interdum sensus evadat eo ipso exemplo Suet. Aug. 66 ibidem ostendi, quod Ad. Schmidtius l. l. p. 313 allegaverat ad interpretationem suam fulciendam. Taceam minime tolerari posse quod eadem verba Suet. Caes. 20: conficerentur et publicarentur, si interpretatio illa admitteretur, de diversis temporibus modo de imperfecto modo de plusquamperfecto acciperentur. Quare nisi forte alia exempla detegentur sententiam contrariam firmantia, usquequaque erit explodenda et in eo perstandum, ut Suetonii locum de Latini sermonis consuetudine non decessisse statuamus. Quum ergo Caesar consul primus omnium instituerit, ut non minus populi quam senatus diurna acta conficerentur, decem fragmentis primis actorum populi diurnorum fides videtur abneganda esse. At vero faciamus jam ante Caesarem consulem acta diurna fuisse, hoc tamen tenendum est omnes, qui nuper in illa steterint sententia, praeter Lieberkuehnium in eo consensisse, ut diurna tum demum conscribi coepta contenderent, quum annales maximi P. Mucio Scaevola annis u. inde a 624 usque ad 650 pontifice maximo publicari desissent. Hoc si demus quamquam non concedimus, licet fragmentum VIII. IX. X. e periculo eripi possit, quanam ratione liberentur septem prima? Nihil respondent praeter Dodwellum Append. ad Prael. p. 652--654 et Lieberkuehnium De diurn. Rom. act. p. 15, qui, si quid tan-

dem velit percipio, Dodwelli sententiam fere recoxit. Is affirmare non dubitat etiam ante P. Mucium acta diurna a scribis publicis conscripta et ex his deinde annales maximos a pontifice confectos esse. Ita nimirum et diurna acta publica auctoritate scripta et annalium tabulae publicae dierum haud scio an singulorum quoque digna memoratu notantes simul existebant, ne publicorum monumentorum opinor parum esset praesertim quo tempore antiqui Romani rabie quadam scribendi abrepti videantur. Qui porro factum putemus, ut, si quo tempore annales maximi eodem etiam acta diurna componebantur, nemo omnium auctorum veterum uspiam mentionem actorum in rebus illius temporis injecerit? Sed missam faciamus meram conjecturam jam ab Ernestio l. l. merito abjectam. Annalium vero maximorum ipsorum fragmenta septem dierum illorum acta esse, nemo adhuc defendit nec quemquam defensurum credo post Schwegleri Röm. Gesch. Tubing. 1853 I, 1 p. 7 sqq. de annalibus pontificum disquisitionem. Qui quum res memoratu dignissimas tantum imprimis religiosas simplicissimis verbis in eos relatas esse probaverit, quis tam futiles res, quibus fragmenta scatent, a pontifice maximo etiam verbosius iis inscriptas contendet? Nec facile quisquam percipiet, quo modo septem fragmenta eaque non exigua annalium maximorum hucusque servari potuerint, quos ne antiquorum quidem scriptorum Romanorum post Verrium Flaccum quisquam suis oculis inspexit. Accedit quod minime constat annales maximos confectos publicatosque esse per singulos dies. Haec vero quum ita sint, quibus aliis argumentis superiora septem fragmenta vindicentur non prorsus liquet. Ergo manifestum est, quantopere jam Suetonius solus fragmentorum fidei refragetur.

Nec vero non suffragatur eorum origo. Nemo unquam archetypon vidit, ac tamen de marmoreis tabulis Dodwello Append. p. 651 auctore, teste Pighio l. l. de tabula antiquissima, Vossio ad Catull. p. 333 testante ex eodem Ludovici

Vivis, viri Hispani, vetutissimo exemplari traduntur descripta. Quo modo marmor tam pretiosum perditum ire potuerit non magis indicatur. Quantam vero in suspicionem monumentorum nemini cuiquam cognitorum quae feruntur descriptiones cadere oporteat, per se ipsum intelligitur. Augetur suspicio, si ex Hispania, subditiciarum inscriptionum Romanarum quasi patria eas manasse legimus. Summe vero diffidimus animadvertentes in eam cui inscripta fragmenta dicuntur materiam. Rectissime Schmidtius l. l. p. 317 urget ineptissimum esse, si quis opinetur, acta urbana quotidie proposita in marmorearum tabularum fere ter centena millia fuisse inscripta, tot tantaque monumenta aut numquam confecta esse posse aut nequisse unquam adeo interire, ut undecim tantum fragmenta minima servarentur. Verum non marmori sed vel tabulis dealbatis, ut Schmidtius l. c., vel chartae, ut Renssenius l. l. p. 51 vult, acta diurna inscribebantur. Quare quae de marmoreo archetypo referuntur facere non possunt quin fidem fragmentorum imminuant. Nec magis eam tutantur quae Zellius Ferienschrr. p. 122 excogitavit. Non constare ait num Vives septem prima saltem fragmenta epigraphici monumenti alicujus apographa esse professus sit, potuisse Pighium formam iis dedisse epigraphicam. Nam si Zellius ejusmodi formam fragmentis fuisse ultimis concedit, de priori bus nihil amplius sibi sumet, postquam illud quod negavit supra evicimus utramque collectionem penes Vivem primum fuisse. Pighium vero nihil est quod vocemus in suspicionem. Quin immo Pighius l. l. p. 378 de eodem septem dierum fragmento diserte haec refert, quae Zellius neglexisse videtur. Confert enim, inquit, non modicum ad historiae ejus anni reipublicaeque cognitionem: formamque monstrat, qua tam senatus quam populi diurna acta illis saeculis confici in tabulasque referri ac publicari solebant. Huc adde quod idem ibidem superius antiquissimae tabulae fragmentum a se proponi dixit, cujus exemplum exscriptum inter schedas Ludo-

vici Vivis olim repertum esset. Quapropter non diutius dubium esse potest, quin Pighius certe exemplar suum in tabularum epigraphicarum formam vetustam jam redactum acceperit. Omnis ergo suspicio in Ludovicum Vivem regreditur, a quo fragmentorum illa recensio, quam Pighianam vocant, antiquam speciem prae se ferens ad viros doctos exiit. Multo majori jure Zellio licuerat dubitare, fueritne posterior editio undecim fragmenta cuncta continens conscripta ea quam Dodwellus perhibet forma epigraphica.

Nam Vossius, qui primus aliquid ex apographo illo duobus Catulli sui locis laudatis in publicum protulit, quae profert enunciata utroque loco minusculis scripsit litteris nec lineas singulas distinxit. Ita confectum fuisse etiam illud exemplum, quod a Vossio acceptum Beverlandius cum Dodwello communicaverit, ipse Dodwellus indicat Append. ad Prael. Camd. p. 651 hisce verbis: Editionem illam primariam Pighii sequor a Reinesio descriptam, quod formam ipsam servavit tabulae marmoreae a Vossii descriptore, quicunque demum is fuerit, neglectam, quod factum tamen non oportuit. Contuli autem cum Vossii apographo, si qua fortasse melioris lectionis suggesserit codex Petavii, unde sua descripsit ipse Vossius. Potuit enim qui plura servavit horum marmorum fragmenta, quam constat vidisse (si tamen vidit) Vivem, e marmore ipso descripsisse Paulus Petavius. Ex his igitur Dodwelli verbis manifestum fit Vossiano exemplari non fuisse tabularum marmorearum formam antiquam. Idem sensisse videntur Clericus p. 276, Schmidtius p. 316 sq., quamquam argumenta eorum desideras. In Vossii vero descriptorem quemcunque ponis, neglectae formae illius crimen cum Dodwello amoliri haud licet. Nam si virum qui ex exemplari Vossiano descripserit intelligas, jam exemplar illud eam non retinuisse ostendimus, sin eum qui ipsum Vossii apographum confecerit intelligere malis, non descriptorem sed Vossium ipsum de Petavii exemplari exscripsisse Dodwellus Prael. Camd.

p. 334 ita narrat: Inde exscripsit vir maximus memoriae celeberrimae Isaacus Vossius. Quae vero ex Petavii exemplo ita Vossius transcripserat, ea eodem Vossio l. l. p. 333 teste ad exemplaris a Ludovico Vive primum possessi fidem remittere oportet. Mirum ergo maximopere est quod ab eodem viro prior septem fragmentorum recensio ad Batavos Germanosque exiit vetustam formam affectans, posterior iisdem septem nova quattuor addens neglecta forma illa profecta est ad Francogallos et Anglos. Quae res, si quid omnino assequor, non potest quin in summam adducat suspicionem eum virum, a quo utrumque exemplar emanasse constat, Ludovicum Vivem. Ac nescio qua alia ratione rem alioquin miram explicem, nisi ita ut statuam de industria illum ipsum alteri fragmentorum fictorum editioni et auctiori et varias exhibenti lectiones et per alios aliis in terris viros propagandae non eandem ac priori formam dedisse hoc scilicet consilio, ut plures plurium annorum viderentur antiquae fragmentorum recensiones jam pridem extitisse locis repertae diversis atque saepenumero transcribendo sensim corruptae tamque negligenter etiam descriptae, ut priscam formam non ubique retinuissent. Quam conjecturam meam inferius in singulis fragmentis tractandis uberius confirmabo. At, inquit, qui tandem factum est, ut quae non redacta in tabularum formam Vives emiserit quattuor fragmenta posteriora apud Dodwellum tamen legantur similiter scripta ac priora septem? Haud urit me quid respondeam. Nihil nisi artificium esse formam apud Dodwellum expressam jam Schmidtius p. 316 vidit non tamen indicans, a quo perfectum sit. Mihi haud dubium est quin a Dodwello. Nam ipsius verbis Append. p. 651 supra modo allegatis scimus exemplari ejus per Beverlandium accepto vetustam formam minime fuisse. Quare quum tamen eam typis exscribendam curaverit, ecquis praeter ipsum incusandus est? Ut eam quattuor fragmentis illis artificiose tribueret, incitatus videtur non alia ratione

quam quod, quum priore parte a Pighio edita formam tabulae antiquissimae servatam animadvertisset, editionem primariam dignam censebat, quam hac in re sequeretur imitando. Nec magis quod marmoreae fuisse feruntur tabulae post dupliciter descriptae Vivem facio reum. Vidimus enim eos, quos primos fragmentorum mentionem fecisse constat, Lipsium et Velserum ea excerpta putasse ex libris pontificum linteis. Non minus Vossius l. l. ad linteos vel pontificum vel magistratuum libros ea retulit. Quid? quod etiam Beverlandius, qui fragmenta cum Dodwello communicavit, idem crediderat. Contestor Dodwellum ipsum Append. p. 651, quem in locum hac in quaestione fragmentorum censores parum respexerunt. Memini, lector, inquit, illo in loco (Praelect. Camd. p. 334) fragmentorum nonnullorum librorum linteorum veterum, quorum me participem fecerat cl. Beverlandius. Dodwellus ergo, qui primus tabulas marmoreas commemorat, etiam auctor fuisse videtur rumoris illius de marmoreo archetypo. De quo ut fabularetur haud scio an commotus sit eo, quod sincere crederet acta Romanorum diurna tabulis semper marmoreis inscripta itaque antiquissimam quoque illam, cujus fragmentum se accepisse Pighius putaverat, non posse non marmori insculptam fuisse. Sic Dodwellus sibi persuasisse potest nihil dubitandum esse, num tabula tam antiqua quippe marmorea tam diu potuerit servari. Ponens igitur Dodwellum bona fide egisse, quum posterioribus priorum fragmentorum formam antiquam daret cunctaque traderet de marmore transcripta, licet non fraudis studio quaesitae eum increpuerim, levitatis tamen non exiguae accusem. Jam vero restat, ut Zellio respondeamus, qui Ferienschrr. p. 123 id ipsum, quod fragmenta principio pro libris linteis habebantur, vindiciis eorum vertere conatus est. Plerumque enim ait fictorum esse operum, ut vel auctorum quibus supponantur certa nomina vel titulos certos inscriptos prae se ferant, fragmenta vero nec quidquam ejusmodi proposuisse neque actorum nomine

divulgatos esse. Quae quamquam recte animadvertit acta tamen non vindicant. Nam verisimillimum est falsarium consulto fragmentis qualia essent non inscripsisse, quandoquidem antiquorum actorum diurnorum in fronte talem inscriptionem fuisse vix quisquam credidisset. Eo autem facilius potuit et supersedere inscriptione et abstinere quominus amicis velut Justo Lipsio vel Paulo Petavio fragmentorum exemplaria mittens cujus generis essent declararet, quo certius ei sperare licebat fore, ut acta diurna ea esse tota fragmentorum natura ac ratione tamen cognosceretur. Nec spes destituit. Jam enim cognovit illud Pighius. Potest igitur falsarius ita suspicionem a se removisse, ut cui monumentorum generi fragmenta annumeranda essent omnino non profiteretur, potest vero etiam alio modo. Nam ipse amicis, quos exemplaribus donavit, consulto indicare potuit suspicari se quae fragmenta misisset librorum linteorum esse, ita ut opinio illa de libris linteis inter primos apographorum possessores pervulgata ad ipsum auctorem actorum jam sit revocanda. Sic simulando se vel nescire genus fragmentorum vel alius generis ea putare omni se suspicione exsolvisse potest. Ceterum quae Zellius de fictis operibus observaverit in transcursu tantum moneo non semper rata esse. Exempli gratia tragoediam illam, quam alii Prognen alii Tereum inscripserunt, tamquam antiqui, qui tamen non nominabatur, auctoris esset, a Gregorio Corrario sextidecimi saeculi viro confictam laudaverim vel quas fabularum Phaedrum imitatarum collectiones Anonymos Nilantii et Neveleti ex edentium nomine non ex ignotis scriptoribus vocare solent. De tragoedia illa cf. Baehr. Gesch. d. Röm. Litt. ed. III. Carolsr. 1844. I. p. 137, de fabulis eund. I. p. 492 sq. Respicientibus vero ad fragmentorum originem jam apparet nihil esse, quod eorum auctoritatem defendat, quae eam impugnent acerrime esse plurima atque, si quidem acta falsa sunt, omnia quae detegantur de compositore vestigia reducere ad Ludovicum Vivem.

Sed quia Lieberkuehnius, ubi de origine fragmentorum disseruit, plura quibus Vivem vindicare studebat argumenta protulit Vindic. librr. injur. suspect. p. 15 sq., mihi quoque liceat quae adversarium refellant hoc jam loco praemittere. Quaerit enim cur Vives, si finxerit fragmenta, non ediderit quum viveret, cur partem omnino celaverit. Alterum hoc eo rejicitur, quod Vossii verbis evici posteriorem fragmentorum partem, quam Lieberkuehnius Vivem aut non possedisse aut celasse sumit, non secus ac priorem ab ipso Vive et ad Petavium quidem emanasse. Nec minus alterum argumentum pro nihilo duco. Nam inde quod post mortuum demum Vivem prima de actis mentio fit apud Lipsium, qui ne a Vive quidem se haec fragmenta accepisse tradit, non prorsus consequitur ea neque Lipsium non accepisse a Vive, neque vivum Vivem omnino non communicasse cum viris doctis. Quod enim Lipsius unde fragmenta nactus sit silentio praetermisit, eo minus impedit quin ex eodem fonte atque cetera ejus exemplar fluxisse credamus, quo certius constat tum reliqua a Vive exordium cepisse, tum ipsum Lipsium errore plane eodem, quo omnes descriptionum primarum possessores, fuisse obstrictum, ut ex libris linteis fragmenta excerpta arbitraretur. Etenim ita scripsit l. l.: Argumento libri lintei pontificum, in queis scriptum etc. Quod vero post mortuum demum Vivem acta commemorantur, longe alia atque Lieberkuehnius vult via ac ratione explicari potest. Primus Vives, si falsarius fuit, majoris sapientiae jure haud scio an censuerit, ne in sese moveret suspicionem, per alios tantum, quam se ipsum fragmenta publicare. Quorum autem in manibus prima fuerunt apographa, ii quominus ad notitiam communem propagarent variis videntur rationibus retenti. Velserus et cui exemplum miserat Camerarius essetne ingenuum dubitarunt; P. Petavius editioni fragmenta jam paraverat inscriptionum collectarum volumine, sed matura morte abreptus est; Lipsius

et Vossius, quamquam ea possederunt, non tamen nec statim nec tota in publicum emiserunt, sed data tantum occasione ad interpretandum quem ediderunt scriptorem particulis eorum usi sunt, sive quod fragmenta quamvis pro antiquis haberent non tanti fecerunt, ut libro singulari proponerent, sive quod sibi solis studuerunt antiquitatis monumentum ceteroquin ignotum reservare, sive quod postea demum tota fragmenta typis exprimenda curare voluerunt. Sic etiam Beverlandium, comitem de Carbury, Lockium, Susium vidimus non festinasse, ut acta ederent, sed amicis propaganda dedisse. Quocirca nihil officit quominus certe Lipsium et P. Petavium, de quo jam nulla dubitatio relicta est, statuamus vivo jam Vive possedisse atque adeo ab ipso Vive accepisse haec fragmenta post mortem demum Vivis a Lipsio et ex Petavii exemplari a Vossio particulatim in publicum prolata. Velserum vero a Vive fragmenta cepisse minime contendam, quippe quum ipse Velserus l. l., cujus fide Camerario ea mitteret, nonnihil dubitaverit. Quod autem Susius, ne id omittam, partem fragmentorum tantum priorem in schedis defuncti Vivis reperit, quin posterior a Vive vivo exierit haud sane obstat. Potuitne quattuor actorum illorum exemplar aut casu quodam aut ipsius Vivis consilio interiisse, potestne affuisse quidem sed non inventum esse a Susio? Jam vero regredimur ad Lieberkuehnii argumentationem. Etiam totam Vivis scribendi rationem ait discrepare ab eo genere dicendi quod in fragmentis deprehendatur. Vivem in scribendo adamare oratorium quid in amplificandis iisdem notionibus conspicuum longioresque verborum circuitus, cujus rei in fragmentis nullum omnino vestigium extet. Sed percipere debebat vindex Vivis ille eum, quicunque monumenta vetusta verbis maxime concisis et simplicissimis scripta imitari animum induxerit, nisi stultissimus sit, qua in libris philosophicis, paedagogicis, grammaticis suis uti soleat scribendi ratione, ea nusquam usurum esse illa imitantem.

Vivi autem quanta fuerit stili sui ad quodvis dicendi genus accommodandi naturalis ingenii dexteritas, jam Schmidtius l. l. p. 319 animadvertit. In libro enim aedes legum inscripto Vivem recte dicit priscum jurisconsultorum sermonem Latinum mirum quam eximie usurpasse. Qui vero illum sermonem egregie imitari potuit, quidni potuerit actorum diurnorum saepius non ita absimilem eorumque haud sane raras formulas solemnes imitando exprimere? Ac vero mihi quidem non ad irritum cecidisse imitatio plerumque videtur. Denique Lieberkuehnius l. l. ita Vivem tueri tentavit, ut eum uno ex ejus operibus (Basileae 1555 ed. t. I. p. 342) loco allegato probaret vehementer satis in eos invectum esse, qui suppositicios libros pro genuinis vendere solerent. Verum, quantumvis dolendum sit, saepe numero subter solem contingit, ut facta hominum a verbis discrepent. Fictis certe scriptorum nominibus, ne ipse auctor cognosceretur, libros emittere non semel Vivi placuit. Quodsi Zellius Ferienschrr. p. 121 praeter Vivis naturam virtutisque indolem hujusmodi fraudem fuisse contendit, in controversiam non descendimus de re difficiliori, quam de qua omnino aliquis aequalium sine ulla dubitatione decernere possit. Tantum monemus inter sexti decimi saeculi, quo Vives vixit, viros doctos, id quod prima quaeque litterarum historia docet, litterarias fraudes ipsas non tantopere insolitas et non omnibus, ut hodie fit, merito fuisse contemptui. Ne summos quidem viros litteratos tales tunc fraudes abominatos esse vel Muretus ostendit versibus interpositis Scaligerum conatus fallere. Cf. Reisig. Vorless. ueb. lat. Sprachwissensch. ed. Haase. Lips. 1839 p. 260. Quare cogitari certe potest Vivem virum fuisse, qui aliam quamlibet fraudem quam maxime detestans fraudem tamen litterariam concipere religioni sibi non duxerit. Haec omnia perpendens non dubito praeeuntibus Velsero l. l. et Schmidtio l. l. p. 319 Ludovicum Vivem non possessorem tantum primum sed etiam auctorem nominare fragmentorum,

quae pro falsis habenda esse uberius demonstrabo. Clericus quidem p. 321 Sigonium haec acta composuisse conjecit, sed fugisse eum videtur Sigonium, quum Vives, cujus in schedis Susius actorum exemplar invenit, diem supremum anno 1536 obiret, utpote anno vel 1523 vel 1524 genitum tredecim ad summum annos natum fuisse, itaque acta conscripsisse nullo modo posse. Sed non diutius insistamus in conjectura, quam ipse Clericus sequenti pagina merito deseruit. Ceterum de vita Vivis qui instrui velit praeter librum a Zellio p. 241 laudatum Mémoire sur la vie et les écrits de Jean Louis Vivès par A. J. Namèche (in commentariis inscriptis Mémoires couronnés par l'Académie royale de Bruxelles t. XV, 1. Bruxelles 1841) Wielandium nostrum legat Opp. a Grubero ed. Lips. 1826. t. XLIX p. 76—82.

Alia quae fragmentis minime favent argumenta ultro praebentur, si ab externis discedentes quasi interna spectamus. Primum in promptu est brevius antiquiora, longius fragmenta recentiora res narrasse. Qua diversitate relationis non dubium est quin, ut a Lieberkuehnio Vindic. p. 94 fit, argumento uti liceat ad tuendam temporum, quibus duae fragmentorum partes confectae sint, diversitatem. Sed etiam contrarium argumentum inde expromere mihi quoque paulo inferius licebit. Deinde sermonem quo fragmenta scripta sunt intuens nemo non rudis erit, quin primo obtutu animadvertat eandem loquendi rationem in anni 586 u. c. actis paene ubique valere atque in iis, quae centum fere annis post confecta esse traduntur. Cui si senatus consultum Marciannm de Bacchanalibus a. u. 568 factum, quod in aenea tabula insculptum etiam nunc Vindobonae nobis servatur et accuratissime typis expressum est ap. Endlicherum bibl. caes. Vindob. codd. Lat. nr. I., obiter tantummodo comparamus, in oculos incurrit, quantopere monumenta illa, quae duodeviginti tantum annis distare debebant, tota dictione inter se differant. Aevi Ciceroniani esse, ad quod posteriora quattuor pertinere prae-

tendunt, cuncta fragmenta undecim videantur. Haec res quam mira sit per se intelligitur. Excusare eam Zellius p. 124 ita adortus est, ut Vivem aut volentem aut nolentem assereret loquendi rationem illam mutare potuisse. Qua ratione tanta mutatio non voluntaria in describendo fieri potuerit, ego quo judicio sum non assequor, sed fortasse, credo, Zellius assequutus est. Si vero consulto Vives commutaverit, mutata autem fragmenta licet nihil de immutatione facta indicans propagaverit tamquam descripta ex vetustissimo exemplari, qua tandem ratione a Zellio hominis defendi potuit sinceritas? Sed ipse Zellius longe praestare intellexisse videtur Dodwelli p. 663 et Lieberkuehnii p. 92 conjecturas, quibus inferius p. 125 et ipse assentitur. Conjiciunt enim ex collectione quadam urbanorum actorum, quales Muciani atque Acholii fuerint, haec fragmenta excerpta esse, veteres autem descriptores suam suorumque temporum et in dictione et in scriptura rationem in vetusta haec more suo transtulisse et omni collectioni quasi unam faciem induisse, ne aequalibus obsoleta forma fieret offensioni. Primum opponamus, quid de Muciani Acholiique collectionibus statuendum sit et imprimis num urbanorum omnino fuerint actorum parum esse certum. Cf. quae ipse Zellius superius p. 57 de iis disputaverat et Renssenium p. 17 n. 1.[2]) Deinde paene ridiculum est contendere morem eum Romanos obtinuisse, ut archetyporum formas vetustas in colligendo et describendo si non semper at plerumque adeo mutarent in recentiores, ut sui cujusque temporis quasi unam faciem descriptionibus induerent. Nam hoc si fecissent, fieri sensim non potuisset quin quos nunc possidemus codices fere omnes conscripti essent sermone latino aetatis vel infimae. Neque amplius posset temporum quibus scripti sint diversitas ex libris ipsis cognosci. Quod autem ad acta populi Romani ipsa attinet, minime constat, fuerintne tum, quum Tiberio imperatore conquirebantur, describebantur, repara-

2) Cf. etiam Hübner. l. l. p. 7.

bantur (cf. Dion. Cass. LVII, 16), perpessa loquutionum omnino permutationem aliquam et eam quidem tantam, quantam probata Lieberkuehnii sodaliumque conjectura statuere oporteret. Ceterum colligi et restaurari et transcribendo mutari haud dubie ea tantum acta potuerunt, quae omnino extabant; verum sexto urbis saeculo acta diurna nondum extitisse quia supra probavimus hic tantum commonemus. Qua etiam de causa de Renssenii libro nuper l. c. disputans prorsus abjeci p. 437 sq. ejus conjecturam vel alioquin perquam futilem p. 77, qua senatorum, qui jussu Tiberii acta reparassent, aliquem insulsum errantem non fraudantem censuit in reliquis restaurandis haec quoque fragmenta composuisse. Eademque ratio vetat antiquum falsarium Tiberii aequalem suspicari, ad quam aetatem fragmenta, quamquam Ciceronianam toto sermone affectant, tamen pertinere posse quispiam contendat. Nam nondum peractis, ex quo acta diurna primum conficiebantur, centum ad summum annis, praeterquam quod plurima fragmentis insunt, quae tunc nemo credidisset, numquam persuasurus fuisset falsarius hominibus jam ducentis annis ante acta diurna fuisse publicata. Praeterea si quando haec fragmenta demus quam Dodwellus, Lieberkuehnius, Zellius conjectarint mutationem subiisse, plura tamen quae minus explanentur superant. Leguntur enim in actis singulae imprimis nominum formae, quae antiquae aut reapse sunt aut videri volunt, velut Aprileis (fragm. I., II., III., IV.) fasceis (II.), Aimilius (V.), Aegupti et Suriae (VII.), Syllanus et Ruscius (VIII.), Laodicia (IX.). Quae formae cum reliquo textu procul dubio pessime concinunt. Aliud usurpatum invenis, quod Tiberii aetate jam exoleverat, ut fornicem Fabii (IX.), dum aliud vel scutum Cimbricum (III.), si quidem patronis actorum credimus, scribarum tantum studio nomen recentius inserendi debetur. Quae omnia qua ratione cum conjectura illa concilientur, aegre percipiendum est. Aut si elaborata sunt acta tota a diasceuastis nescio quibus pro sui temporis

loquendi ratione, unde permixtio tamen diversarum diversorum temporum formarum ne in iisdem quidem nominibus ubique servatarum, aut si ita non postea elaborata sed a principio sunt conscripta, cur non eundem stilum tenent? Idem igitur, quidquid statuis, semper quaerendum restat, cui adversarii responsione haud sufficient. Nostra vero sententia nodum facillime solvere videtur. Cogites falsarium sexto decimo p. Chr. n. saeculo degentem acta diurna aliquot, quae saeculi a. u. c. sexti essent, componere sibi proposuisse. Nondum repertis neque S. C. de Bacchanalibus neque Scipionum epitaphiis scire vix potuit, quantopere cum Ciceronis aetate centum fere annis posteriore discrepet illius aevi dicendi et scribendi ratio universa. Quare fere eandem utrique tempori fuisse videtur credidisse. Atque ita sibi persuasisse potest jam satis esse, si aevi Ciceroniani sermonem omnibus fragmentis imitatus complures formas vetustiores priori parti insereret praesertim tales, quales grammatici docuerant apud priscos Romanos in usu fuisse, velut fasceis, Aprileis, Aimilius (cf. Quintil. I, 7 § 15. 16. 18. 19), vel quas iisdem auctoribus (Quintil. I, 4, 9) u pro graeca y littera posita haud scio an ex analogia sine negotio fecerit, ut Aegupti et Suriae. Non tamen ubicunque tres voces illas usurpaturus esset, priscis formis sibi utendum censuit, sed plerumque adhibendas recentiores Ciceronis aetate usitatas. Idque eo consilio egit, ut fragmentorum textus tot annis jam saepius descriptus scribaeque viderentur more suo partim servasse antiquiora partim neglexisse, sed tamen non adeo neglexisse, ut vetustae originis vestigia non amplius cognoscerentur. In posteriore vero fragmentorum parte falsarius, ne iisdem atque in priore formis vetustis uteretur, callide cavit, quippe quas ex grammaticorum libris non ignoraret apud Ciceronis aequales jam obsolevisse. Quapropter satis habuit eas inseruisse, quae falsa scriptione ortae viderentur quibusque consimiles descriptorum errores in codicibus inscriptionibusque nonnum-

quam occurrerent velut Syllanus, Ruscius, Laodicia. Quum vero acta componeret, fallere eum non potuit, si partes singulas pro sui cujusque temporis conditione ac natura conscribere vellet, eam ubique sibi observandam esse in referendo discrepantiam, ut quae septimo urbis saeculo gesta narraret uberius et verbosius exponeret quam quae sexto, quo praesertim in scribendo Romanos copiae verborum pepercisse constaret. Eundem ergo non diasceuasten sed auctorem omnium fragmentorum et sermo et expositionis ratio haud dubium est quin prodant.

Quid de earundem formularum crebra in fragmentis repetitione judicandum sit deinde disquiramus. Quas formulas quum jam Lieberkuehnius p. 90 sq. accuratissime excerpserit, quandoquidem ut inter se comparentur apud nos quoque censemus non deesse debere, ex illius libro transcribere liceat. Conferendae igitur haece sunt:

I. Bene mane sacrificavit ad Apollinis, ove fecit Laurentiae (al. laureatus) (fragm. I).
Legati bene mane sacrificarunt ad Castoris dis Penatibus P. R., tauro fecerunt (VII).
Is bene mane sacrum fecit ad Castoris dis Penatibus publicis (VIII).

II. Data visceratio (IV).
Lautia legatis data (VI).
Epulum in funere populo datum (VI).

III. Causam dixit apud P. Fontejum Balbum praetorem (III).
Causam dixit apud Q. Cornificium (VIII).
Causam dixit pro Corn. Sulla apud judices (IX).

IV. Fulguravit, tonuit et quercus tacta in summa Velia paullum a meridie (II).
Tonuit sub meridiem, fulguravit et quercus tacta in summo Argileto (IX).

V. Funus Marciae Sex. F. cum majore pompa imaginum quam frequentia hominum (V).

Funus Metellae Piae Vestae virginis illatae sepulcro suorum majorum via Aurelia (X).

VI. Rixa ad Janum infimum in caupona, et caupo graviter sauciatus (II).

Rixa ad fornicem Fabii et caedes gladiatorum duorum (IX).

Rixa Po . . . . et Q. (VIII).

VII. Frequentia prosequente (V).

Frequentia hominum (V).

Quibus adjicio illud:

VIII. Fasces penes, quod recurrit in fragmentis I., II., III., IV., VIII., IX.

Hac in earundem formularum repetitione Lieberkuehnius non debile de veritate actorum argumentum inesse autumat. Morem enim apud veteres ut in legibus et causis ita etiam in diurnis actis valuisse videri, ut formulis certis ad certas designandas res uterentur. Vix se dubitare ait quin falsarius variasset eam ipsam ob causam, ne falsarius esse videretur. Concedi posset Lieberkuehnium recte disputasse, nisi quem virum falsarium putemus maxime legum causarumque Romanarum fuisse peritum atque aedes legum, cujus libri miratio vel jurisconsultos incessit, (cf. Hugo. Lehrb. d. Gesch. d. Röm. Rechts. 1818 p. 224) docte atque ingeniose conscripsisse constaret. Jure peritus igitur quandoquidem erat, quae in legibus ferundis causisque dicendis solemnes formulae apud Romanos usu receptae fuerint quum non ignoraret, cur homo alias non mediocriter astutus hac in re adeo destitutus calliditate putetur, ut formulas illas solemnes, ubicunque iis opus esset, in actis componendis neglexisset? Neque injuria etiam in prodigiis sacrificiisque, quae facta essent, referendis easdem formulas obtinuit, etsi rixas funeraque narrantem supersedere iis potuisse non est quod abnuam. Repetitio ergo earundem formularum solemnium

tantum abest ut sententiam nostram unum undecim fragmentorum scriptorem fuisse respuat ut confirmaverit.

At vero aliud Lieberkuehnius opponit. Inesse enim fragmentis censet p. 85 sq. et p. 87 sqq. quum in eligendis verbis ad sensum aptissimis tum in grammatica verborum ratione subtilitates quasdam latinae linguae tam proprias, ut a falsario medii aevi nullo modo ita profectae esse potuerint, nam esse tales, quas reconditior nostri temporis grammatica doctrina recte demum illustraverit. Quae fragmentorum vindex exempla attulerit apud ipsum inspiciantur, ad singula dicere mihi haud est in animo. Unum respondeo. Saepissime evenire solet, ut homines rem aliquam usu atque experientia multo prius cognitam habeant quam ratione et doctrina. Id ipsum recentiorum populorum viris eruditis in latine scribendi arte cognoscenda accidisse constat. Legendo, identidem relegendo, singula quaeque animadvertendo sibique inculcando, diligenter imitando quae perlegerant, inter se aemulando latine atque eleganter quidem scribere didicerunt perlonge antequam totius doctrinae grammaticae certa praecepta amplis librorum voluminibus statuerentur. Nec tamen propterea viri illi extra praecepta egrediebantur. Immo usu sermonis latini diligentissimo ac propemodum constanti eo pervenerant, ut quid consuetudo Romanorum posceret nonnumquam persentirent potius quam scirent. Ita factum est, ut sextodecimo p. Chr. n. saeculo tot viri docti inveniantur, qui subtilitatibus linguae latinae plerisque in legum grammaticarum formam nondum redactis tamen eas nisi raro non neglexerint atque elegantiori usi sint sermone latino, quam nostra aetate plurimi. An forte Lieberkuehnius viros clarissimos illos, quorum stilum latinum etiam nunc admiramur, elegantiarum latini sermonis ad unum omnes rudes fuisse serio opinatur? An opinio eum tenet ante Zumptii, Krebsii, Reisigii, Kritzii, Jahnii, Handii vel quos aliorum laudat libros grammaticos recentiorum neminem unquam et

fuisse et esse potuisse, qui, licet praescripta quaedam a grammaticis nondum praecise data fuerint, tamen usu frequenti exercitatus elegantiaeque si minus judicio at sensu tenero vigens diligenter ea servaverit? Talia Lieberkuehnius si reapse opinetur, vix quemquam inveniet cui persuadeat. Quocirca minime audiendus est quum a falsario medii aevi subtilitates quas dicit latinae linguae illas (quamquam magnam partem non nimis subtiles sunt) praefracte negat ullo modo ita profectas esse posse. De eo adeo quem impostorem suspicor nihil cedo. Etenim eruditionem ejus quanti aequales fecerint inde percipias, quod Erasmum et Budaeum ipsumque Vivem tres viros interdum vocarunt rei litterariae. Inter quos licet Vives minimus fuerit, profecto tamen est aliquid aetatis suae haberi tertius. Tantum virum haud incredibile videtur litteras latinas adeo calluisse, ut quaecunque fragmenta exhibeant eleganter dicta usu doctus dicere didicisset.

Huc etiam pertinent duo argumenta alia a Zellio p. 126 nobis objecta. Altero lectionis discrepantiam inter utrumque fragmentorum exemplar tantam talemque, ut suspicionem non potuisset non movere, praeeunte Lieberkuehnio p. 11 et 15 minime innuere contendit falsarium recentiorem acta conscripsisse. Mihi pro conjectura, quam primus quantum scio hac de re periclitatus sum, plane secus videtur. Illud enim ipsum, quod tanta ac talis est discrepantia, persuasit mihi quidem firmiter non posse eam saepius describendo ortam esse praesertim qui et quales descriptores fuerint consideranti. Etenim fuerunt omnes suae aetatis viri litteratissimi; nemo non fuit praeter Velserum unum, a quo tamen reliqua apographa non emanaverunt, admirationis fragmentorum, quae pro pretiosissimis antiquitatis Romanae reliquiis habebant, admodum plenus. Quare nullo prorsus modo credibile est quemquam eorum, penes quos a Vive usque ad Dodwellum Graeviumque fragmenta erant, aut tam ineruditos ut

ignorantia, aut tam negligentes fuisse ut socordia textum in describendo corrupissent. In Vivem ergo suspicio revolvitur, in quo haerebit, donec fortasse aliquando nescio quo casu demonstrari potuerit ipsum jam accepisse ab alio quopiam fragmenta duabus conscripta recensionibus quum numero tum lectione longe diversis. Etsi hoc, si quando praeter expectationem fieri posset, mirationem tamen justissimam excitaret, quod diversas diversis cum viris communicans ne uno unquam quidem verbo indicasset diversitatem. Nam si non auctor sed possessor secundus vel tertius fuisset, rem sibi ipsi haud dubie miram non erat quod silentio praetermisisset. Sin auctor fuerat, interfuit permagni, ut unde diversae fragmentorum editiones profectae essent quantum posset celaret. Quare posteriorem edenti de priore tacendum erat. Quo facto spes videbatur relicta fore, ut eandem utrique originem esse non facile detegerent sed crederent identidem jam dudum transcribendo eam in textum antiquissimum paulatim serpsisse scriptionis varietatem, cui duas prope dixerim recensiones diversissimas exhibenti non debile antiquitatis actorum inesset argumentum. Hac conjectura probata quae alias difficiliora facillima evadunt ad intelligendum. Non amplius miramur lectionis diversitatem ab ipso falsario utrique editioni consulto insertam; mirum non diutius est alterius descriptionis possessores alteram, de qua per Vivem numquam certiores facti sunt, prorsus ignorasse; jam perspicimus denique, qua contigerit ratione, ut posterior etiam nostris diebus vel a Lieberkuehnio et Zellio non ad eundem virum revocetur, penes quem recensionem priorem fuisse nemo negat. Haud enim multum abfuit quin scriptori fragmentorum ex sententia bene cecidisset illud quod eum egisse suspicamur, ut posterioris saltem partis originem occultaret. Nam nisi Vossius notam illam a fragmentorum censoribus praeter Schmidtium perperam neglectam de descriptione sua facta ex Ludovici Vivis exemplari quasi prae-

teriens tradidisset, deficeret nos ex iis quibus adversarios redarguamus argumentis unum idque sane non levissimum. Quo ceterisque annexis quum conjecturam firmasse mihi videar, ne hac quidem in quaestione, quae de scripturae differentia agitur, fraudis crimen compositor actorum ut subterfugiat patiar. Quanto vero opere singulae lectionum diversitates scribas incusari vetent, ad primi fragmenti vocem LAVREATVS ostendere proposui.

Alterum argumentum Zellianum depromptum est e varia singulorum dierum de fascibus praescriptione. Dum enim fragmentis I., II., III., IV., VIII., IX. (quo in nono fragmento fascium praescriptionem abesse Zellius perperam dixit), penes utrum consulem fasces fuerint, praescribitur, in quinti atque undecimi fronte de fascibus nihil memoratur sed amborum praemittuntur consulum nomina, quae in octavi capite etiam praeter fasces leguntur; nulla vero nec consulum nec fascium mentio fit sexti, septimi, decimi initio. Inde Zellius nihil, quod acta commenticia demonstret, erui posse existimat, immo falsarium ait eandem ubique formulam usurpaturum fuisse. Non obloquerer utpote haud absimili et ipse superius paulo usus argumentatione. Sed ita res se habet, ut inconstantiam falsarii increpare minime induxerim in animum, verum constantiam ejus quandam eamque consilio quaesitam ibi sponte agnosco, ubi aliis incuriose neglecta videatur. Primum quidque hic strictim attingam, quum suo quoque loco infra perstricturus sim. Quinto igitur fragmento cur fascium praescriptio omissa sit, jam Lieberkuehnius Vindic. p. 46 sq. exposuit. Praetermissam enim ait, quod ex contextu ipso appareat utrumque consulem suos eo die fasces habuisse et qui paludatus exierit et qui in urbe cum imperio remanserit. Hoc si damus, simili videtur ratione fragmento etiam undecimo indulgeri posse, quamquam nec Lieberkuehnium nec Zellium vel hujusmodi excusatione vel alia nescio qua usum esse maxime miror. Si enim ambos consules illo

die ex urbe profectos legimus, quidni auctorem actorum dicamus idcirco a praescribendis fascibus abstinuisse, quia sponte intelligeretur neutrum abiisse nisi cum fascibus? Quod autem sextum cum septimo fragmento de fascibus silentium tenent, Lieberkuehnius p. 47 ita explicavit, ut nullo de iis nuntio opus fuisse assereret, quum unus tantum consul in urbe affuisset, apud quem fasces non potuissent non esse. Quae rationes num actuarii animo reapse obversatae sint, quis est qui certo sciat, ubi suspicari haud scio an audacius sit? Certe si quis neget eodem jure ajo. Ita ergo auctor fragmentorum sibi constitisse videtur, ut vices fascium, ubi sua ex sententia non possent fuisse, omnino non ascriberet. Hanc si obtinuit normam, mirum tamen est quod in decimo fragmento fasces nihil commemorantur. Qua de causa minime patet nec patroni actorum quidquam suppeditant. Nihilo tamen minus mihi persuaserim de industria illo die compositorem actorum ipsum omisisse, quae alias nisi rationibus ductus nusquam negligebat. Si conjecturam meram tentare licet, crediderim actuarium innuere voluisse utrique consuli idcirco die illo fasces fuisse oportere, quod in funus Metellae Piae e nobilissima gente Vestae virginis facere uterque non potuisset quin prodiret, prodiens vero ornatus esset amplissimis consulum honoribus. Nec non suffragetur conjecturae quod in tribus fragmentis illis V., X., XI., quae res ad praetereundos fasces commovisse videatur, ea cujusque semper diei prima refertur, tum profectio consulum tum virginis Vestalis funus. Cognita igitur regula ab auctore actorum servata, ad quam etiam falsarium aliquem se dirigere potuisse nemo infitias ibit, inde, quod fascium praescriptio modo facta modo omissa sit, fragmenta effici posse ut non ficta a fraudatore putentur plane equidem pernego. Ceterum quamvis legem certam ab actuario observatam agnoverim, non simul tamen teneor legis auctoritate. Nam longe alia existit quaestio de vicibus fascium diurnis

an menstruis, de quibus ad primum fragmentum lectores amandare permissum sit. Illud vero, quod amborum consulum nomina V., VIII, XI. fragmento praescripta sunt, jam hic recenseamus. Quinti diei excusatione Lieberkuehnius p. 47 utitur ea, ut propterea, quod uterque consul et exiens et in urbe remanens suos habuerit fasces, utriusque nomen ab actuario in actis inscriptum contendat. Sed praeteriit virum haud indoctum, quam supervacaneum fuisset de fascibus diserte addere quae ex rebus illo die in acta relatis sponte perciperentur, quamque foret incredibile superfluum aliquid qualecunque breviloquentibus sexti a. u. c. saeculi monumentis publicis insertum esse. Quid plura? Enimvero de fascium vicibus diurnis nemo quisquam credo praeter Lieberkuehnium praescripta consulum nomina accipiet, quae nihil nisi annum significant. Undecimi autem de fragmenti exordio si quis tacente Lieberkuehnio similia sit propositurus, argumentatione non dissimili repellendus erit. Etenim ad octavi diei acta tutanda, quo die penes alterum consulem fasces fuisse diserte traditur, defensio illa minime valet. Quare alteram Lieberkuehnius p. 57 adortus est. A descriptore enim docto, qui voluisset innuere, cujus anni tria haec acta VIII., IX., X. essent, duorum consulum ait praescriptionem factam videri. Hanc hominis inconstantiam modo de fascibus modo de anno eadem interpretantis! Sed nullo tamen cum fructu se ipse deseruit, quandoquidem, id quod supra evicisse putamus, nihil omnino est, quod corrupti textus fragmentorum crimine descriptores incusare liceat. Quocirca quum neque ad antiquos actorum scriptores neque ad scribas recentiores consulum nomina ter praemissa fragmentis revocanda sint, ab auctore ipso praescripta oportet. Quo consilio praescripserit non sane est obscurum. Ne dubitatio relinqueretur, quos ad annos singulae fragmentorum partes referendae essent, indicare voluit Romanorum more. Quum vero acta non totorum annorum sed dierum complu-

rium tantum emitteret, facere non potuit quin non ineuntis sed vel medii anni actorum in fronte consules nominaret. Ita tamen variavit, ut non ubique primo cujusque partis diei nomina insereret, quo facilius diversa apographa a viris diversis facta atque jam a primis fortasse archetyporum descriptoribus ad annos nota insigniendos locis actorum diversis consulum nomina adjecta viderentur. Patet ergo neque e fascium neque e consulum varia praescriptione elici quidquam posse, quod auctoritati fragmentorum non officiat.

Denique res ipsas quae fragmentis enarrantur intueamur. Laudes Lieberkuehnius plena manu sustulit Vindic. p. 80 sqq. Mire enim, inquit, quas acta enarrant res conspirant cum iis, quae in diurnis actis inscribi solebant. Verum aliquatenus dixit: verius ipse paulo inferius p. 81 adeo moderatus est laudibus, ut exciperet nonnulla antiquorum actorum diurnorum propria, quippe quae in his fragmentis non deprehenderentur, alia non pauca, quae quidem naturae illorum actorum aptissima putat, his concederet inesse, infuisse vero illis veterum locos nominatim non probare. Quare vix credibile videtur Lieberkuehnio falsarium saeculi decimi sexti ita in promptu habuisse omnes locos de diurnis apud veteres obvios sane paucos satisque dispersos ac subinde obscuros, ut tam facile omnes fere res, quas recentior demum aetas illis actis infuisse demonstraverit, inveniret, paucas vero illarum fortasse fallendi causa omitteret, alia vero ad diurnorum actorum indolem aptissima ex suo adderet ingenio. Idque mirari ait eo magis sibi subire, quod, quo tempore fragmenta edita sint, quum de Romanorum diurnorum natura viris doctis adeo non constiterit, ut ex libris linteis aliundeve fragmenta reservata crederent, tum omnino homines ab usu et notitia diurnorum actorum fuerint remotiores. Haec argumenta quanti videantur non tamen sunt. Quorum alia ne opponerentur jam Clericus providerat, alia de improviso projecta etiam

nunc repellenda sunt. Sed quoniam Clericus surdis praecepit auribus, ad omnia dicere malo. A calce ut ad caput sensim regrediar, admonuerim ea ipsa, qua fragmenta primum innotuerunt aetate, commentarios rerum passim in terris gestarum modo Relationes modo Newe Zeitungen modo Gazete aliterve inscriptos licet brevissimos neque dum certis temporibus emissos in vulgus edi jam solitos esse. Quorum quod antiquissimum in Germania certe exemplum in universitatis litterariae Lipsiensis bibliotheca asservatur anni est 1494. Quam ob rem scopum non ferire videtur, si quis saeculi decimi sexti hominem non plane illitteratum remotiorem fuisse ab usu et notitia actorum de novis rebus publicis conscriptorum arbitretur, quam cui, ut ficta acta componeret, in mentem occurrere potuerit. Ceterum, quum occasio tulerit, animum attendi jusserim in alterum falsarum ephemeridum exemplar aliquanto post conceptum, quod, licet non antiquis sed recentioribus subjectum sit, ostendat tamen non solum fuisse nostrum falsarium, cui ut spuria acta diurna proponeret inciderit cogitatio. Illud intelligo exemplar Anglicum, quod The English Mercurie inscriptum in Museo quod vocant Britannico Londini asservatur annoque 1558 se confectum esse simulat. Neque vero virum illius aevi latinis litteris eruditum Romana ut diurna imitando confingeret in animum sibi induxisse nihil non est quod incredibile censeatur. Ponas velim cum Clerico p. 322 sq. e viris renascentium litterarum aetate inter veterum libros quasi vitam transmittentibus aliquem imitando quos tanti faciebat magnopere gaudentem, qui Ciceronis epistolis res fere plurimas in urbe gestas ne minimis quidem nonnumquam omissis suis quibusque diebus insertas non sine miratione legerit. Ponas eundem Ciceronis, ut solebant, admiratorem et assectatorem, quo ejus intelligendi fuerit studio, etiam scholiastae illius Asconio operae haud parum dantem invenisse ibi non nimis raras actorum diurnorum reliquias etiam formam vetustam retinentes.

Quodsi talem virum posueris, qualium plures haud dubie tunc fuere, estne satis jam credibile illum in eam incidisse cogitationem, ut aliquot Romanae antiquitatis dierum acta ex suo ingenio concinnandi faceret periculum? Quae res, simulatque ex sententia evenit, haud admodum dubium esse licet quin eum stimulaverit, ut, quae non sine negotio ad antiquorum actorum similitudinem confecerat, germana ac prisca apud homines haberi quam maxime gestiens, quum ea cum familiaribus communicaret, antiquae urbis reliquiarum nomen mentiretur. At, inquit, ex libris linteis reservata principio credebantur. Sit sane, sed licet complures quod genus scriptionis essent non intellexerint, quanam sequitur ratione neminem omnino aequalium acta populi Romani diurna qualia fuerint nosse potuisse? Immo eorum et formam et stilum cognoscere quam facile jam illi aevo erat Cicerone Asconioque magistris! Atque hoc animadvertendum est illos, qui libros linteos fragmenta existimaverint, quominus veram eorum naturam extemplo perciperent, abductos esse posse et deceptos ab ipso auctore. Is enim videtur, ut supra exposui, ne maturam excitaret suspicionem, acta divulgans falso nomine signasse. Jam vero primo Lieberkuehnii argumento vereor ne sors eadem ac ceteris cadat. Minime enim omnes locos de diurnis apud veteres obvios actuarius in componendis fragmentis necesse est in promptu habuerit. Perpaucis tantum opus fuit imprimis Ciceronis et Asconii. Apud illum litterarum inter ipsum Caeliumque missarum pars prior ad Fam. II, 8—10. VIII, 1—5, apud hunc orationis Milonianae enarratio rerum in actis diurnis inscribi solitarum copiam uberrimam jam suggesserunt. Illud ipsum, quod fragmenta non infitiante Lieberkuehnio haud parum recedunt a diurnorum quae collectis veterum locis fuisse constat argumentis, haud scio an comprobet non sane omnes illos operis commenticii hujus fabricatori vel praesto esse vel obversari potuisse. Nam omnes si falsarius in promptu

habuerit, licet quin paululum deflexurus fallendi causa fuerit non negem, vix tamen mihi persuadeam adeo cum in omittendo certe fuisse digressurum. Quas enim actorum res fragmenta non habent, Lieberkuehnio auctore p. 81 hae sunt: numeri natorum et mortuorum, pecuniae ex provinciis redundantes, res annonaria, res amatoriae, nomina in exilium missorum, sententiae senatorum. Verum quos veterum de diurnis locos eosque non fere multos falsarius, ut facillime potuit, haud dubie novit, iis consilio apprime prudenti usus est. Etenim quum singula per singulos dies haud incommode disposuit, tum argumenta actorum quae legerat simplicia nudaque et rebus saepenumero scite fictis amplificavit et verbis illigavit convenientibus. Spectatur autem ars auctoris etiam magis in priore quam in posteriore fragmentorum parte, quandoquidem ad hanc conscribendam Cicero et Asconius copiam rerum gestarum suppeditarunt longe pleniorem, quam ad illam quem sequutus est Livius. Nec minor ingenii dexteritas agnoscenda plerumque est in iis, quae falsarius ad vetustorum actorum trita argumenta ex suo ingenio addidit. Nam licet non omnia, permulta ad diurnorum indolem apta sunt. Sed praecavemus, ne quis ex laudibus nostris efficiat Lieberkuehnio nos assentiri, qui omnes fragmentorum res cum populi Romani vita ac moribus satis congruere p. 80 opinatur. Non raras occurrere haud omni parte congruentes, quum nisi singula percensendo demonstrari non possit, praedicere opus est. Quapropter invito Lieberkuehnio obtinendum erit scripsisse acta virum antiquitatis Romanae intelligentem quidem sed non tam intelligentem, ut non errasset passim de Romanorum moribus. Ut ergo colligam quae hac de quaestione disputavi, res ipsae fragmentis traditae, neque quod multifariam concinunt cum populi Romani tum actorum diurnorum argumentis tum moribus patriis, neque quod alibi discrepant, satis omnino obstant, quominus fragmenta a falsario jam saeculi sexti decimi composita esse possint.

Porro excutienda fragmenta sunt, num res tamquam gestae sint relatae consentiant cum antiquis rerum Romanarum scriptoribus. Qua in quaestione quae Lieberkuehnius p. 82 non potuit quin concederet profecto non respuimus, sed tota re referimus quasi in acceptum. Inesse enim dat his in actis alia, quae cum Livio aliisque scriptoribus antiquitatis aperte pugnent, alia quae nusquam alias legantur permiraque viris doctis haud injuria visa sint. Talia professus quam maxime Lieberkuehnius mirandus est, quod sinceritati actorum magis favere ea contendit quam ùt noceant. Ita se sentire dicit. Si nunc, inquit, totius mensis vel aliquot mensium acta integra ex antiquitate subito nobis detegerentur, quam multa inveniremus, quae aut omnino adhuc ignorassemus, aut quae cum historicis antiquis levioribus in rebus pugnarent. Idem de his actorum fragmentis statuendum censet. Quod Livio in multis levioris momenti rebus contradicant, in aliis mire cum eo conspirent, quod ea afferant, quae alias nusquam legantur taliaque sint, ut inveniri posse tam apte a recentiorum aliquo nullo potuerint modo, hoc Lieberkuehnius p. 83 pro argumento firmissimo sibi sumit haec acta suppositicia non esse. Quid hoc est, quaeso, nisi si omnia consilia frigent obterere artis criticae praecepta primaria? Si nunc actorum codex vel alius liber aliquis alicunde pro antiquo habitus in lucem de repente prodiret, qui testimoniis scriptorum vel monumentorum qualiumcunque sine dubio genuinorum ac fide dignorum saepe atque aperte repugnaret, etiam si argumenta externis a rationibus petita vetustati ejus patrocinarentur, rerum ipsarum tamen discrepantia, nisi minimi momenti esset, apud quemvis vere criticum tantum valere deberet, ut testium horum spectatae auctoritati non praeponeret illum, sed ipsum potius censeret saltem suspectum. Deque iis, quae praeterquam in novo libro illo nusquam alias legerentur, similiter statuendum esset, ubicunque sumi posset ceteris scriptoribus illa, si scissent, attingenda et,

si facta essent, fuisse scienda. Nec prius omni suspicione ejusmodi librum exsolvere liceret, quam et repugnantia qua ratione concilientur et silentio apud reliquos omissa quo modo praeterire potuissent satis probabiliter enucleata esse constaret. Quae si non possent enodari, credere oporteret librum illum aut non antiquum aut interpolatum esse aut certe erravisse. Sin neque interpolationis factae vestigia deprenderentur, neque errorem extare per libri conditionem statuere liceret, tertium tantum restaret. Illud vero tanto firmius amplectendum foret, quanto majore liber laboraret inopia aliorum signorum, quae originem, formam, linguam ostenderent antiquam. Hac, quae sola criticum decet, via ac ratione si Lieberkuehnius quam epistola sua professus est artem exercuisset, multo rectiore judicio haud dubito quin usurus fuerit. Quandoquidem enim diffiteri non poterit, quantum etiamnunc absit, ut aliquatenus saltem constet illa, quae inter fragmenta rerumque Romanarum auctores locupletes discrepent, vel quae sola his in actis inveniantur, jam satis explanata esse, in bonam partem fragmenta accipiens ad summum provehi debebat usque eo, ut suspicionem cum Zellio p. 127 et 228 sq. nondum sublatam, nequedum essentne vera acta liquere autumasset. Nos vero disquisitione facta edocti ne posse quidem etiamsi contortis sophismatis non convenientia ut conveniant explicari, in partem discedimus prorsus contrariam. Quum enim, nisi forte nihil fere non interpolatum esse mavis, non sit, quod verbis fortasse singulis exceptis sententiae ipsae fragmentorum interpolatae censeantur, neque errores, quos monstrabimus, tot talesque de rebus quo tum maxime die actae sint plerumque traditis diurna in acta irrepsisse possint, licet minus urgeatur, quam celeriter omnia auxilia externa a fragmentorum amicis arcessita deseruerint signa, fieri non potest quin, quod adminiculis quae ex ipsarum rerum relatarum conditione quasi emergere videantur prostratis unum haud dubie supererit,

solum ac certissimum teneatur nullo omnino modo fragmenta haec antiqua esse.

Quibus veterum libris, unde res fragmentis narrandas depromeret, actuarius usus sit, ad singula demum indicare convenit. Quo facto numquam non in promptu erit, quatenus ipse aut concinat cum illis aut dissideat. Esse ubi conspiret locos complures haud mirabile putabis, quoniam, nisi fidem omnem excedere voluisset, a confessae auctoritatis scriptoribus vetustis tota re recedere nequaquam licebat. Dissensio vero, ubi veteres quin bono usui ei fuerint non ambiguum est, inter utrosque haud rara non magis mira videtur. Nam ne rationes suas alterum ad scopulum appelleret, prospiciendum erat actorum compositori, ne nihil aliud quam compilasse scriptores antiquos existimaretur. Quo consilio interdum ab iis desciscere non veritus est, imprimis ubi ephemeridum fragmenta res gestas praesertim leviores suo quoque die accuratius quam illi viderentur consignasse. Verum non quaevis discrepantia studio quaesita est, crebriorem actuarii peperit inscitia. Eamque increpare licebit plerumque certe, ubi differentia aut gravior quam quae de industria facta sit, aut si levior ea est, ut cur facta sit nequaquam percipiatur. Quamquam haud negaverim pauca passim in fragmentis superesse a veteribus dissona, quae inscitiae an consilio auctoris dentur dubitationem relinquant. Nam hominis jam pridem mortui complicatam animi notionem nemo mortalium ubique evolvet. Quare Zellius p. 228 quae fieri non possunt fieri voluisse videtur, quod quibus de causis singula quaeque inter veteres actuariumque aut conveniant aut abhorreant accuratissime semper ut exquirantur et explanentur flagitavit. Ignorantia vero mera scriptorem fragmentorum a vero non raro abfuisse quid mirum est? Miraremur si nusquam abfuisset. Qua enim renascentium litterarum aetate antiquitates juris publici resque gestae Romanorum perquiri demum coeptae sunt, virum inter aequales

haud indoctissimum multa nunc vel trita ac pervulgata vix potuerunt non fugere. Quibus homines includuntur angustiis sui quisque aevi errorum nonnihil sugere solent, nec solum ex temporis illius virorum litteratorum caterva falsarium nostrum quaedam rerum Romanorum fefellit ignoratio.

Haec sunt, quae de universis fragmentis disputanda censui. Si quaecunque fidei eorum patrocinari putentur confutasse plerumque certe ac repulisse recte mihi videor, spes me tenet fore, ut quae acta quominus justissimae sint offensioni minime vindicari possunt, non amplius immerito habeantur pro genuinis. Virum vero, quem fuisse scriptorem summa suspicio movetur, Ludovicum Vivem, fraudis suae etiam apertius alia ratione convinci posse, spei nonnihil relictum est. Romanarum enim rerum ac temporum descriptionem idem Vives ficto Joannis Warsenii nomine fertur emisisse. Qui liber quum ne in Berolinensi quidem bibliotheca regia extet, quod in manus meas non pervenerit vehementer doleo. Sed alii alibi haud dubito quin inspicere possint. Ibi si inveniantur de Romanorum antiquitate quaedam cum his quidem actis convenientia non tamen cum scriptoribus antiquis, quis fabricator fragmentorum fuerit, nulla restabit dubitatio. Sed licet fraudatore ambiguo fraus jamjam manifesta est. Quanta vero qualisque concepta sit, quum primum schedas, quas conscriptas habeo, foras dandi nactus ero potestatem, luculentius demonstrabo fragmenta anquirens deinceps etiam singula. Interim missos paulisper fecerim centones hos actorum diurnorum undecim suppositicios.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

APPENDIX.

Paucis ante diebus, quum hoc opusculum typis Gryphiae jam expressum esset, litteras accepi gratissimas a viro eruditissimo Aemilio Huebnero Dr. phil. in univ. Berol. privatim docente Madriti datas a. d. VII. Kal. Mai. Suadente enim, qua est benevolentia, M. Hertzio in universitate Pomerana litt. lat. et graec. P. P. O. ab Huebnero, cujus libro de S. P. Q. R. actis res a libello meo ut p. 17 indicavi non alienas tractante magnopere delectatus sum, per litteras ineunte mense Aprili petieram, ut si in inscriptionibus Hispanicis disquirendis multum versatus incurrisset forte in vestigia quaedam, quibus Joann. Ludov. Vivem ipsum illarum aliquas confinxisse probaretur, mecum benigne communicaret. Huebnerus autem interea Berolino relicto in Hispaniam profectus est, ubi antiquitatis Romanae reliquiis investigandis insignem dat operam. Unde epistolam meam sero nactus haec fere, quae ad acta diurna spectant, sed patrio sermone mihi rescripsit, rescripta liberalius permisit ut divulgarem.

Casu mirifico, inquit, Valentiae, Vivis in patria, manuscriptum quoddam miscellum nuper in manus meas incidit, in quo etiam actorum diurnorum fragmenta illa leguntur inde a verbis V. CAL. APRILEIS FASCES PENES AEMYLIVM usque ad CAL. MAII COSS. IN GALLIAM PROFECTI AD C. CAESAREM. Praescripta sunt actis haec: E libris pont. lintheis excerpta, et praescripta quidem manu eadem, quae acta nitide et eleganter exaravit. Tota litterarum ratio virum doctum sexti decimi p. Chr. n. saeculi indicat non

Hispanum sed Germanum aut Italum. Posteriore vero manu aliqua haec adnotata sunt: sacada de un treslado que houo Honorato Juan de Luys Biues i. e. desumpta ex apographo, quod Honoratus Joannes accepit a Ludovico Vive. Honoratus Joannes Valentinus est, qui Carolum filium illum regis Hispaniae Philippi II educavit. Manuscriptum miscellaneum illud praecipue quidem Hispanas exhibet inscriptiones emissas a viris doctis saeculo decimo sexto in Hispania spectatissimis, inter quos nominandi sunt Hieronymus Zurita, Florianus de Ocampo, Ludovicus Andreas de Resende, Joannes Alonsus Francus. Verum ipsorum actorum diurnorum juxta fragmentum in manuscripto illo descripta haec leguntur: fasti consulares et triumphales in membrana litteris consignati, S. C. de Asclepiade, inscriptio columnae rostratae collectio inscriptionum Neapolitanarum, notae de bibliotheca Blandiniana et Vaticana, denique notae nonnullae extantes Hagae Comitum. Haec omnia mihi prodere videntur qua acta confingebantur fraudem in Italia aut in Batavorum terra commissam esse, praesertim quum Ludov. Vivem neque vita nec scriptis nec studiis falsarium perhiberi putem. Num Paulum Merulam, quem fabricatorem actorum fuisse ante censui, jure censuerim, ambiguum est; postea propter temporis rationem de illo ipse dubitavi. Tu quomodo Vivem fraudatorem demonstraveris, cupidus sum legendi. Ceterum de manuscripto illo Academiae reg. scient. Berol. prope diem accuratius referam.

Haec Huebnero respondenti quam maximas ago gratias. Nam, licet secus existimarit, quod meam confirmet sententiam argumentum obtulit certissimum. Illud enim, quod argumentatione uberiore comprobare studui, et omnia fragmenta undecim ab eodem esse viro profecta et Vivem ipsum cuncta primum non possedisse modo, sed tamquam genuina communicasse cum viris doctis, illud inquam mirum in modum stabilitur manuscripto ab Huebnero Valentiae invento. Unum idemque exemplar saeculo decimo sexto scriptum undecim

acta diurna cuncta exhibet et tradit ut antiquissima, quae e libris pontificum linteis sint excerpta. Ne unde emanaverint acta dubitatio relinquatur, diserte adnotatur desumpta esse ex exemplari, quod Honoratus Joannes acceperit a Ludovico Vive. Vives ergo tertiam quoque actorum recensionem foras dedit eamque perhibentem fragmenta illa cuncta, quamquam duarum recensionum, quas ab eodem viro emissas evici, prior Pighiana partem tantum continebat. Duae illae diversis in terris viris diversis traditae erant, jam vero accedit tertia data etiam alibi alii. Ac tertia recensio Hispana non numero modo fragmentorum ab illarum altera, sed etiam scriptura videtur non leviter discrepare ab utraque.

Quoad enim colligere licet ex versibus paucis ab Huebnero allegatis in recensione Hispana quattuor fragmenta posteriora et litteris uncialibus conscripta sint et formam obtinent epigraphicam. Petavii vero exemplum a Vive acceptum neque hanc neque illas proposuit. Etiam in prioribus fragmentis exemplaria differunt, quandoquidem Pighius Vossiusque Aemilium, Hispanum illud Aemylium, hoc Cal., illi K. vel Kal. scripserunt. Plura haud dubie reperientur, quum primum Huebnerus manuscriptum ediderit. Tum demum constituere licebit quo temporis ordine singula exemplaria confecta sint. Quamquam vix dubitarim quin Pighianum septem tantum fragmenta edens omnium primum fuerint. Tanta ergo talisque recensionum ab eodem viro compluribus amicis et diversissimis quidem in terris traditarum discrepantia nemini unquam ex amicis indicata fieri non potest quin viro illi vertatur in fraudem. Fraudis vero ejusdem consilio falsarii callido factae illud esse censeo, ut in libello meo luculentius exposui, quod hoc quoque exemplum fragmentum fertur librorum fuisse linteorum. Id semper egit falsarius, quem Vivem fuisse mihi non amplius dubium est, ut fraudationem omni arte celaret. Quapropter quae confinxerat acta diurna, tamquam qualia essent ignoraret, pro librorum

linteorum fragmentis vetustis se ipsum habere simulavit. Quae Huebnerus de Vivis vita ingenio studiorumque indole sibi sumere voluit, commentatione mea confutasse mihi videor. De P. Merula vero rectissime idem nunc dubitat, nam anno demum MDLVIII natus ille est, fragmenta vero, quae Vivem possedisse constat, jam ante annum MDXLI scripta oportet, usque ad quem supremum Vives vixisse fertur, quamquam ab aliis jam anno MDXXXVI dicitur mortuus. Verum quae ex manuscripti et litterarum ratione et argumento Huebnerus efficere voluit, minus probanda sunt. De ipso enim scriptore actorum idcirco nihil omnino inde colligere licet, quia quae juxta acta diurna illa in manuscripto leguntur aliquanto posterius demum reperta sunt, quam quae ab actorum scriptore possint descripta esse. Velut fasti consulares anno MDXLVI, columnae rostratae basis MDLXV detegebantur, quo tempore Vives, penes quem acta saltem fuerunt, vita jam decesserat. Ceterum inscriptiones manuscripti Batavae quae Huebnerum maxime offendebant, nihil est quod negemus olim ab ipso Vive fortasse collectas esse posse, nam Vivem constat annos aliquot illa in terra Lovunii vixisse (Cf. Vitam Vivis ap. Wieland. Opp. ed. Lips. 1840 ap. Goeschen. tom. XXXVI p. 162 sq.). Sed si Vivi debeantur, ab alio quopiam in manuscriptum illud transcriptae sunt. Nec magis actorum ipsorum quod ibi legitur exemplum Vivis manu exaratum est, sed, ut nota illa posterior diserte prodit, descriptum tantum est ex Honorati Joannis exemplari. Quapropter chirographo illi nihil inest, quod officiat meae sententiae, nec intercedo, si Huebnerus viri docti Itali vel Germani alicujus id esse putat. Sed confectum haud dubie est saeculo sexto decimo demum exeunte.

Scribsi Tribseesae a. d. XI. Kal. Jun. a. MDCCCLX.